



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opera Varia

Noris, Enrico

Lugduni, 1707

Janseniani erroris calumnia sublata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72494)

DISSERTATIO V.

Janseniani erroris calumnia sublata.

Actenus in rebus, quæ historiam attinent, versati sumus, in præsentia ad Theologicas disputationes stylus vertendus est. Nam Anonymus scrupulorum auctor, tertiam eorundem partem ex iis quæ ad Catholicæ fidei dogmata spectant, eo consilio construxit, ut Norisium prædammati Janseniani erroris sectatorem ostenderet. Quod verò instituta abs se delationi major ab accusatorum numero fides accresceret, veterem Geryonis fabulam ludens, semetipsum in homines momento mutavit: Nam tres diversæ scriptiunculæ à diversis veluti auctoribus compositæ prodire, quæ unius tantum mente conceptæ dubio procul intelliguntur. Prima quidem opella inscribitur: *De his quæ spectant ad fidem Catholicam*, Auctore Anonymo scrupuloso. Alterum opusculum titulum præfert: *Informatio de libro &c. ab uno Theologo Parisiensi*. Enimverò & scenam impletam, & fabulam jam paratam putabam; cum improvise rogatum inter utrumque Anonymum chlamydatum Eques occultâ machinâ tractus, apparuit, qui plurima Italice epistola exemplaria sub hoc titulo quaquaversus sparfit: *Lettera d'un Cavaliere dimorante in Parigi ad un suo Amico in Italia*. Hæc tamen omnia unius artificis manu compacta tam certum est, quam quod hoc ipsum tres illæ scriptiunculæ ostendunt. Nam initio Italice Epistolæ, ea quæ in eadem continentur, auctorem habere dicuntur *un grand' Uomo, Dottore insigne nella nostra Sorbona, di cui si dice, che abbia su questo stesso argomento data alle stampe una breve, ma nervosa e sugosa Operetta*. At cum hæcenus binæ tantum opellæ nempe Anonymi scrupulosi, & Informatoris Theologi apparuerint, horum alter in eâ epistolâ magnus Vir ac Doctor insignis ridiculè æquè ac fraudulenter obruditur. Equidem non geminos, sed unum eundemque fuisse utriusque scriptiunculæ auctorem inde palam apparet, quod eadem omnino objectant, iisdem pariter periodis ac ipsissimis verbis loquuntur. Nam quæ apud Doctorem scrupulosam à pagellâ 32. §. *En solennis obiectio &c.* usque ad pag. 36. contextuntur, eadem iisdem vocibus repetit Informator à paginulâ 20. §. *En solennis obiectio &c.* Quæ apud illum §. V. leguntur, ad verbum apud hunc §. VII. exscripta exhibentur. Utraque opella eadem S. Coelestini Papæ sententiâ concluditur. Ita eadem manus, quæ scrupulos antea severat, eosdem meliori subinde ordine in Informatione repastinavit; ut planè illud Terentii in Phormione Act. II. 1. reponere possim:

Unum cognovisti; omnes noristi.

Maximam tamen inter utrumque discrepantiam, ut ingenue fatear, adnotavi, quod alter *Norisium*; alter verò *Norisium* scribit. Num hic veteres imitari maluit, qui teste Quintiliano lib. 1. Instit. cap. 4. literam T vice S, usurpantes, *pultare* pro *pulsare* scribebant? Ne tamen unus Norisio adversari censeretur, hæc initio præfatur: *Idcirco lectis accuratè plurimorum & nostræ Parisiensis Facultate Doctorum animadversionibus, eas excerpti, & affera*, nempe ut Romanis Censoribus tot Theologorum secum conspirantiam numero ac præjudicio cogitationem, anxietatem, & fortassis etiam quidpiam metus injiciat. Extat comicum carmen in Captiv. III. 1. apud Plautum.

Pergo ad alios: venio ad alios: deinde ad alios; una res. Cæterum quàm procul à Sorbonâ Anonymus habitet, superius à pag. 175. satis lepide ostendi; dum me præmonstrante, veluti homo novus ac peregrinus rubore parique stupore plenus primùm didicidit, quales quantive insignes in Galliâ Scriptores, & hos inter etiam Socii Sorbonici Norisii sententiis suffragarentur. Profecto affirmare ausim hunc hominem ne semel quidem Sorbonam à limine salutasse; cum tamen sese Doctorem Sorbonicum & jactet, & geminet. Cum anno ab hinc vicelesimo quidam ficto sub nomine Huberti Carthusensis libellum evulgasset, inscripto titulo: *Germanitates Cornelii Jansenii & Henrici Norisii*: alter ex adverso libellus prodit inscriptus: *Gerra germana Germanitatum Cornelii Jansenii & Henrici Norisii*; quo plane scripto ad oculum de monstratur, quantis parasangis Norisii sententiæ à Jansenianis opinionibus distent. Eo sanè libello Jansenianâ calumniâ depulsâ, Norisii liber id temporis in supremo Romæ Inquisitionis tribunali examinatus, censurâ immunis evasit. Hocce scriptum si Anonymo perspectum fuisset, contusam ac tot ante annos protritam delationem omisisset. Anni sunt duodeviginti ex quo Jansenii libros non legi, quos etiam antea vix saltuatim attigeram, suctus purissimos Augustinianæ doctrinæ latices ex ipsismet potius S. Doctoris voluminum fontibus potare, quàm derivatas inde aliorum arte aquas, easque variâ invicem discordantium Scholarum interpretatione turbatas haurire. Verùm cum Anonymus scrupulorum auctor Janseniani voluminis perillustrandi necessitatem imponat, nescio quæis & ipse scrupulis memet pungi perferentisco, veritus, ne quæpiam deinceps extrâ scriptarum numerum, Janseniana sententiâ mihi adherescat, ac malo fato, dum à Norisio Jansenismi calumniâ depello, ipse interim tantillum Jansenianus fiam, qui totus & esse, & haberi velim Augustinianus. Verùm cum in librorum S. Augustini lectione plures annos versatus sim, ejusdem tutissima ac inconcussa dogmata altius animo infixâ hærent, quàm ut contrariæ quorumcumque doctrinæ locum dare posse videantur.

CAPUT I.

Binæ propositiones ab obiecta Janseniana affinitate vindicantur.

Anonymus auctor scrupulorum idemque Informator initio objicit, tantam esse sententiarum Norisii cum damnatis Jansenii erroribus affinitatem, ut nec unam inter utrasque discriminis lineam observare potuerit. At paucis ostendam quàm lato inter se spatio disjungantur; & propositiones prout ab Informatore præformantur, adducam, quod meliori ordine ibidem digestæ apparent.

§. I.

Prima Propositio Norisii.

Transgressorem legis reum esse peccati tametsi negata fuerit ipsi gratia proximè sufficiens qua posset exequi mandatum.

Hæc est doctrina apud Theologos pervulgata, qui tradunt, satis esse potentiam remotam ad implendum

plendum præceptum, ut transgressor legis reus criminis habeatur, nec semper requiri ad legem violandam potentiam proximam ejusdem implendæ. Ita docent Card. Bellarminus lib. 2. de grat. cap. 7. Suarez lib. 4. de grat. cap. 2. Poncius p. p. relect. de grat. cap. ult. num. 6. Ruiz disp. 39. de prædest. sect. 2. Amicus disp. 18. de grat. sect. 3. Salmanticensis tract. 14. disp. 6. dub. 3. num. 90. Joannes à S. Thoma disp. 10. de reprob. num. 30. Gonetius disp. 5. de reprob. art. 6. §. 2. aliique passim, & ipsimet Jansenii antagonista Decamps lib. 3. cap. 11. & Moraines disp. 24. sect. 1. Ut autem quæ totâ hac dissertatione dicturus sum, facilis percipiantur, notionem potentie remotæ ac itidem proximæ Francisci Suarez insignis Theologi verbis exponam. Hæc ille scribit lib. 4. cit. cap. 4. num. 6. Auxilium homini datum vel est illi tantum oblatum, ut illud possit habere, si velit; & sic auxilium illud, quod est actu receptum, nondum est proximè sufficiens ad illum actum, ad quem illud auxilium præveniens dicitur esse necessarium, sed tantum remotè &c. ergo auxilium illud, quod supponitur actu datum, est proximè sufficiens ad illam priorem dispositionem, & ita ad illam includit omnia auxilia prævenientia actu data, & respectu ulterioris actus est tantum remotè sufficiens. Hæc ille, quæ alii etiam vulgò docent. Unum in disputatione de gratiæ auxiliis magistrum Augustinum sequar. Eoimverò in lib. de Grat. & lib. arb. c. 17. scribit: *Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam: poterit autem, cum magnam habuerit & robustam.* Et antè cap. 15. *Gratia Dei semper est bona, & per hanc fit, ut ipsa bona voluntas, quæ jam esse cepit, augetur, & tam magna fiat, ut possit implere divina mandata, quæ voluerit, cum valde perfectèque voluerit.* Gratia illa, quæ homo habet bonam voluntatem implendi præcepti, dicitur remotum auxilium ad implendum præceptum, quia cum eâ solâ gratiâ non potest mandatum facere, sed indiget adjuvari ulteriori ac majori auxilio, quod dicitur auxilium proximam, à quo homo constituitur in potentia proximam ad exequendum præceptum, ac finè ulteriori hoc auxilio habet potentiam tantum remotam faciendi præcepti. Idem S. Doctor lib. 3. contrâ Maximinum cap. 14. scribit: *Quis autem nesciat, aliud esse præceptum, aliud potestatem? Hoc enim habemus in potestate, quod cum volumus, possumus. Præceptum verò id nobiscum agit, ut quod jam est in potestate, faciamus. Si autem non est in potestate, oremus nobis potestatem dari, ut quod præceptum est, impleamus.* Et in laudato c. 15. de Grat. & lib. arb. ait: *Ut homo qui voluerit, & non potuerit, nondum se plenè velle cognoscat, & oret, ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata.* Gratia illa qua volumus jussu facessere, quæ non possumus, est remotam; illa autem qua possumus facere quod volumus, est proxima, ita ut homo antequam oret pro impetrando ulteriori auxilio, non habeat nisi potentiam remotam, oretque pro proximam potestate obtinendam.

Jam verò ad peccandum satis esse potentiam remotam, nec proximam requiri, certum est placitum inter Theologos. Nam homo volens implere præceptum antequam oret pro proximam potestate obtinendam, non eandem habet, sed tantum remotam, qui tamen si orationem omittens, præceptum transgreditur, reus est peccati, quamvis caruerit potentia proximam ad exequendum mandatum. Præterea habens conscientiam vincibiliter erroneam, non habet potentiam proximam ad vitandum peccatum; siquidem qui erroneè putat licitum esse furari ad succur-

rendum pauperi, supposito eo judicio pratico vincibiliter erroneo, hic & nunc nempe oblatâ occasione furti, ac pauperis sublevandi, necessitatur ad peccandum: Nam si non furatur, agit contrâ conscientiam, quæ licet erronea, obligat, ut docent Theologi, cum S. Thoma 1. 2. quæst. 19. art. 5. At si furatur, peccat contrâ divinam legem furta vitantem, ut pariter docent iidem Theologi cum S. Augustino lib. 1. Oper. Imperf. contrâ Julianum num. 46. & Angelico Doctore quodlib. 8. art. 13. ubi ait: *Illud quod agitur contrâ legem, semper est malum; nec excusatur per hoc, quod est secundum conscientiam.* Videtis Thomam Sanchez lib. 1. Summæ cap. 11. num. 12. ubi Doctores id docentes enumerat, quibus adde Gregorium Ariminensem in 2. sent. dist. 28. q. 1. art. 2. Nuper id etiam asseruit Reverendissimus P. Thyrsus Gonzalez, qui de operante ex conscientia vincibiliter erroneâ in Dissert. 8. de recto usu Opin. Prob. cap. 1. num. 6. scribit: *Ex suppositione illius conscientie erroneæ est necessitatus ad peccandum.* Quæ necessitas à peccato non excusat, quia non est necessitas absoluta & simpliciter, sed ex suppositione liberè inducta, & secundum quid, ac proinde indirectè voluntaria, ob omisam diligentiam, qua erronea illa conscientia poterat non induci. Porro qui necessitatur ad peccandum, caret potentia saltem proximam ad vitandum peccatum, cum non possit non peccare, ac proinde caret gratiâ proximè sufficiens ad abstinendum à peccato, cum gratia proximè sufficiens ad evitandum peccatum, conferat proximam potestatem fugiendi peccati.

Nec juvat reponere operantem ex conscientia erroneâ, habere potentiam proximam ejusdem deponendam. Nam id planè falsum est; nam qui in hæresi est obstinatus, & sæpè ex conscientia erroneâ operatur juxta erroneas sive sectæ opiniones, ita hæc veras putat, ut non possit easdem momento abjicere. Hinc diuturniori instructione opus est, priusquam errore abjecto, ad Catholicam fidem convertatur. Quare laudatus proximè P. Thyrsus Gonzalez dissert. 3. cap. 2. §. 2. num. 25. docet *Hæreticum in eo instanti, in quo suis erroribus pertinaciter adhæret, non habere potentiam proximam ad assentiendum Mystertis nostre fidei; nec tamen inde hæretici excusantur.* Præterea qui operatur ex conscientia erroneâ, judicat se debere hic & nunc eandem retinere; quocum judicio repugnat tunc posse illam deponi. Etenim gratia proximè sufficiens ad eam conscientiam deponendam, non est nisi illustratio intellectus, qua conscientie error appareat; atqui tunc oppositam cognitionem habet, qua ea conscientia ita sibi vera videtur, ut oppositum judicet falsum omnino & erroneum. Cum primùm de errore, cui adhæsit, cœperit dubitare, tunc incipiet ad proximam deponendam erroneæ conscientie potestatem accedere; & cum certò sectæ errores agnovit, tunc ex illis inductæ erroneæ conscientie deponendam proximam potestatem habebit. Ex his constat transgressorem legis reum esse peccati tametsi caruerit gratiâ proximè sufficiens, qua posset exequi mandatum, quæ est ipsa Norisii propositio.

Anonymus informator pag. 4. hanc alteram propositionem sub prioris titulo exhibet: *Ex his colligitur quomodo Infideles peccent, non observando legem, quandoquidem sine fide manent tantum sub lege præcipiente, non sub gratiâ proximè adjuvante.* Pag. 90. Vindiciarum. Nonne hæc sentiunt passim Theologi? Suarez lib. 4. de Grat. cap. 18. num. 27. ait Pharaonem habuisse sufficiens auxilium saltem remotè ad credendum,

Et consequenter ad obediendum. Ruiz disp. 46. de prædeit. sect. 8. num. 7. docet dari infidelibus *auxilium sufficiens remotum.* Decamps lib. 3. de Hæresi Jansen. cap. 14. scribit *Judeos propter amegressa peccata proximam credendi potestatem non accepisse.* Macedo in Sermonio Augusti. cap. 11. pag. 160. de auxiliis datis infidelibus ait: *Ea sunt remotissima, & à fidelium sufficientibus tantum distant, ut vix appellari auxilia possint.* Idem Informator ibidem alterum Norisii dictum hæc verbis exscriptum profert: *Unde opera quæ Infideles faciunt, sunt semper peccata pag. 90.* Si hæc tantum Norisius scripsit, profectò eo in dogmate totus

JANSENIUS.

Infideles carent gratiâ sufficienti ad salutem tam proximam, quam remotam, & omnibus principiis ejus. Lib. 3. de gratiâ Christi, in titulo capitis 11. paginâ 126.

JANSENIUS.

Ecce quoties quam densè, quam instantes docet Augustinus eos, qui sub lege positi sunt, nullum adiutorium bene vivendi præter legem accepisse. Ibidem cap. 3. pag. 111.

JANSENIUS.

Nugæ, delirium, insania, error, impietas contra Christianorum sensum, scripturas, & fidei, quod infidelium sit ulla vera virtus, vel opera sine peccato juxta Augustinum, & Concilium Arausicanum. Lib. 4. de statu Nat. lapsæ in titulo cap. 17. pag. 257.

JANSENIUS.

Hæc ostendunt, quam parvi momenti sit etiam istud, quod Augustinus dicit de Rege Assuero, quod Deus juxta scripturas, transtulerit indignationem ejus in lenitatem &c. Ex quo non video qua ratione consiciatur, illam ejus voluntatem fuisse omni ex parte bonam. Lib. 4. cit. cap. 6. pag. 230. col. 1.

JANSENIUS.

Respondetur continentiam illam Polemonis fuisse bonam, sed non opus bonum, cujusmodi hic postulamus, hoc est, sine omni peccato ex omnibus circumstantiis. Ibidem cap. 5. pag. 230. col. 1.

Hæcine, Lector optime, sunt Jansenii ac Norisii dogmata sibi invicem affinia? hæ sunt parallelæ utriusque propositiones? hæc utriusque Scriptoris

CAPUT II.

Propositio Secunda.

Tali Auxilio proximè sufficiente privari etiam justos, tum cum urget observatio alicujus mandati, quod non potest impleri sine gratiâ.

Antequam positæ thesiv veritatem ostendam, notanda venit durior phrasis, quâ in describendâ tum hæc, tum alterâ superiori propositione, Informator utitur. Nam in priori ait ex sententiâ Norisii transgressorem legis reum peccati fieri, tametsi negata fuerit ipsi gratiâ proximè sufficienti; in hac verò posteriori ait Norisium asserere, *auxilio proximo sufficiente privari etiam justos &c.* quasi Norisius dicat à Deo negari eam gratiam, & à Deo eadem hominem privari, quâ loquendi formulâ ille asseruisse videa-

est Bajanus, totus Jansenianus. Verùm fraudem aculatoris integra Norisii sententia luce clariùs meridiana manifestat. Nam eo loco hæc leguntur: *Unde opera quæ ipsi, Infideles, faciunt semper sunt peccata, nisi ubi aliquando Deus quosdam bonos actus ipsis nescientibus, in eorundem voluntate operatur.* An non jure Norisius Anonymo reponere posset cum S. Augustino lib. 4. contra Julianum cap. 8. *Redde verba mea, & vanescet calumniâ tua?* Libeat hic antitheses Jansenii & Norisii adijcere, ut Jansenianæ affinitatis calumniâ breviam utriusque propositionum collatione obteratur.

NORISIUS.

Quamvis enim Infideles careant auxilio proximè sufficienti, habent tamen quedam auxilia remota, unde non patitur necessitatem antecedentem peccandi. In Vindiciis Augusti. cap. 3. §. 6. pag. 44. Col. 1. v. 37.

NORISIUS.

Ceterum omnibus hominibus adesse auxilium saltem remotum, mihi video colligere ex Augustino in lib. de Naturâ & Gratiâ cap. 67. Ibidem pag. 45. Col. 1. v. 13.

NORISIUS.

Sed non adeo rigorosè de operibus Infidelium S. Doctor locutus est. Nam aliquos quandoque virtutum actus eosdem elicere, palam concessit, ut ex dictis satis apparet. In Vindiciis cap. 3. §. 4. in fine, pag. 24. Col. 1. v. 20.

NORISIUS.

Respondeo tertio Infidelos aliquos actus bonos elicere, ad quos à Deo praevenitur, qui profectò peccata esse non possunt. Tradit hoc disertè S. Doctor cap. 24. de gratiâ Christi, ubi recitato illo Scripturæ sacre testimonio Ester XV. 2. convertit Deus, & transtulit indignationem ejus in lenitatem &c. In Vindiciis cap. 4. §. 5. pag. 58. Col. 1. v. 41.

NORISIUS.

Preterea Epist. 130. continentiam Polemonis Philo-
sophi divinæ gratiæ deputandam scribit: Tamen ait, ne id ipsum quidem quod melius in eo factum est, humano operi tribuerim, sed divino. In Vindiciis cit. cap. 3. §. 4. pag. 21. Col. 2. v. 43.

effata similia imò etiam ipsissima? Quæ major inter utriusque theses diversitas esse potuit? quæ dissimilior sententiarum discrepantia excogitari.

tur, Deum habuisse decretum non dandi gratiam proximè sufficientem, ex quo decreto Dei absoluto ejus gratiæ privatio in homine resulset; cum tamen Norisius scribat ex peccato Adami illam privationem gratiæ proximè sufficientis ortam fuisse, seu Adamum sibi ac posteris gratiam proximè sufficientem perdidisse, ita ut beneficio tantum meritorum Christi Redemptoris hominis restituta fuerit. Hanc sententiâ, ut cæteros omittam, tradidere duo magni hujus sæculi Theologi, Basilius Poncius Augustinianus, qui 1. par. Relect. de grat. cap. 17. num. 10. scribit: *Quare in Adamo fuit auxilium proximè sufficienti pro omni occasione & instanti in nobis non est proximè sufficienti pro quibuscumque instantibus, & pro multis vel aliquibus, tantum est auxilium remotè sufficienti &c.* Alter est Franciscus Suarez maximus Doctorum Societatis Jesu, qui idem docet lib. 4. de Gratiâ cap. 18. num.

num. 19. cuius verba aurea, quia Augustiniana sunt, paulo inferius recitabo; hic altero eiusdem testimonio Norisianam thesim proximè confirmabo; tantam enim Norisianæ causæ fiduciam habeo, ut ejus præcipuam defensionem in unius Suarezii doctrinâ collocare non dubitem. Itaque Suarez in libro cit. cap. 4. num. 6. rectè cum cæteris observat auxilium homini datum, vel esse illi tantum oblatum, ut illud possit habere, si velit; & sic auxilium illud, quod est actu receptum, nondum est proxime sufficiens ad illum actum, ad quem illud auxilium præveniens dicitur esse necessarium, sed tantum remotè. Auxilium verò quod supponitur actu datum, est proximè sufficiens ad illam priorem dispositionem, & ita ad illam includit omnia auxilia prævenientia necessaria, actu data, & respectu ulterioris actus est tantum remotè sufficiens. Hæc ad verbum ex Suariorum scriptis. Auxilium proximè sufficiens ad resistendum graviori tentationi illud est, quo habito, nihil ulterius adjuvanti à Deo dandum superest, ut tentatio possit reapse superari. Auxilium verò remotum ad illam tentationem vincendam, est gratia orationis, qua possumus impetrare à Deo auxilium tantum, quantum necessarium est ad resistendum tentationi. Hæc sunt apud Theologos trita ac pervulgata.

His prænotatis, statutam Norisii thesim invictâ Synodi Tridentinæ auctoritate, uno præ cæteris interprete Suarez, solidè æquè ac clarè stabilio. In sess. 6. de Justificatione cap. 11. damnantur hæretici qui dicunt: *Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia*; ac statim præclara S. Augustini sententia ex lib. de Nat. & grat. cap. 43. subjicitur; *Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat, ut possis.* Jansenius lib. 3. de gratiâ Christi cap. 13. pag. 135. eandem Concilii ex Augustino sententiam referens, ait: *Tridentinum verò de justificatis expressè loquebatur, ut id ostenderet, quod præmiserat, Dei præcepta homini justificato ad observandum non esse impossibilia, eò quod jubendo Deus moneat petere quod non possis, & si exaudiat, adiuret ut possis.* Ubi clausulam illam: *& si exaudiat, insertam voluit, ut postea cap. 19. persuaderet, quandoque hominem justum desereri à Deo priusquam ipsemet justus delinquendo deserat Deum; imò etiam cum justus tentatione pulsatus, gratiam tentationi pellendæ necessariam à Deo suppliciter petit.* At Norisius in Vindiciis cap. 3. §. 6. pag. 45. col. 1. non modò Jansenianam clausulam, seu conditionatum illud additamentum omittit, sed etiam oppositam absolutam propositionem ex tract. 53. S. Augustini in Joannem adducit, ubi S. Doctor ait: *Sed audiamus Dominum & præcipientem, & opitulantem, & jubentem quid facere debeamus, & adjuvantem ut implere possimus.* At enim ex priori illâ S. Augustini sententiâ Synodali repetitione consecratâ, probat ibidem Norisius quandoque instante præcepto, deesse homini justo gratiam proximè sufficientem, ad implendum mandatam. An non hæc antea Suarez demonstravit? Ita Vir insignis lib. 4. de Grat. cap. 2. num. 3. laudatam sacræ Synodi ex Augustino sententiam expendit: *Nam illud verbum, facere quod possis, indicat eum, cui hoc jubetur, habere auxilium proximè sufficiens; tum quia ab illo immediatè postulatur, ut faciat; tum quia hoc solum distinguitur illa potestas ab ea, quam Concilium indicat in subiunctis verbis: & petere quod non possis; nam in his insinuat auxilium remotè sufficiens: nam qui nondum potest, nondum habet auxilium proximè sufficiens.* Hæc Augustiniana ac Catholica

sententia adeò clara est, ut majori explicatione admodum, obscurari potius possit, quam indè quidpiam lucis accipere. Nam dum dicitur *facere quod possis, & petere quod non possis*, verba illa *posse & non posse* pro potentiam activam tantum respiciunt sine ordine ad terminum sive actum elicendum, contradictoriè opponuntur, undè illa affirmant id quod altera negant; sed priora adstruunt in homine justo potentiam proximam faciendi præcepti, ergo verba *non possis* negant in homine justificato eandem potentiam proximam observandi præcepti. Ex his syllogismum expediemus. Qui non habet potentiam proximam observandi præcepti, habet privationem auxilii proximè sufficientis, sed justus quandoque urgente præcepto non orans, non habet potentiam proximam observandi præcepti, ergo tunc habet privationem auxilii proximè sufficientis. Major propositio est certa, quia ab auxilio proximè sufficienti constituitur formaliter & essentialiter potentia proxima in justo ad observandum præceptum. Decretoria Suarez sententia est lib. 4. cit. cap. 4. num. 3. *Tunc dicitur auxilium proximè sufficiens, quando constituit hominem in actu primo proximè potentem ad operandum.* Minor est doctrina Synodi Tridentinæ ex Augustino desumpta. Conclusio est thesis ipsissima Norisii, quam Informator uti erroneam & Jansenianum dogma proponit. Michael de Elizalde, quem ob acumen ingenii mirari sæpè soleo, lib. 5. de rectâ doctr. morum quæst. 12. §. 4. pag. 68. ferè indignatus quosdam legis transgressiones voluntariam impotentiam commissas, à peccato excusare, ait: *Vos dicitis potest. Concilium, & Augustinus dicunt, non potest; & ego Augustino, & Concilio crediderim. Atque utinam in peccatoribus habitualibus non sint hujusmodi impotentia permulta consequenter &c.*

Præterea hæc carentia auxilii proximè sufficientis in justis quandoque etiam urgente præcepto, probatur ex Epistolâ Africanorum Patrum ad S. Innocentium Papam, quæ 95. est inter Augustinianas, ubi cum egregiè notassent hominem justum in Dominicâ oratione dicere: *Ne nos inferas in tentationem*, nec orare, ut sit homo, nec ut habeat liberum arbitrium, aut legem, neque remissionem peccatorum, quam antè oraverat, illis verbis: *Dimitte nobis &c.* scribunt: *Orat ergo ut non peccet, hoc est, ne quid faciat mali. Undè satis apparet quod ad non peccandum, id est ad non male faciendum, quamvis esse non dubitetur arbitrium voluntatis, tamen ejus potestas non sufficit, nisi adjuvetur infirmitas. Ipsa igitur oratio clarissima est gratia justificatio.* Homo justus jam per habitus infusos constitutus in ordine supernaturali, ob virium infirmitatem indiget oratione, quia *ejus potestas non sufficit* ad tentationes superandas; & hoc quid aliud est, quam ipsum habere privationem potentia proxima ad implenda præcepta: Sanctus Doctor in Sermon. 2. de Verbis Apostoli, ait: *Verum est: magnas arbitrii liberi vires homo, cum conderetur, accepit, sed peccando amisit. In mortem lapsus, infirmus factus est; & factâ comparatione scum vulnerato à Samaritano curato Lucæ cap. 10. addit: Sed sufficit, inquit, mihi, quod in baptismo accepi remissionem omnium peccatorum. Nunquid quia deleta iniquitas, finita est infirmitas? Idem S. Doctor lib. de Domino persev. cap. 7. eadem verba Dominicæ orationis expendens, ait: *Qui enim non infertur in tentationem, non discedit à Deo. Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt, fuerat in homine antequam caderet.* At Adam habuit gratiam proximè sufficientem, undè idem S. Doctor scribit in lib. de Corrept. & grat. cap. 11. *Si hoc adjuvatum vel Angelo vel homi-**

ni, quum primùm facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adiutorio posset manere, si vellet, non utique suâ culpâ cecidisset. Igitur natura humana ob peccatum Adæ amisit vires ad faciendum bonum, quas ille habuit proximas & expeditas ad observanda divina mandata; hæc de eodem ac uxore dicente Augustino conc. 9. in Plal. 118. Sic à mandato Dei, quod sibi Deum mandasse sciebant, & quod facillimè nullâ infirmitate revocante, impediante, tardante implere poterant, per hanc superbiam declinarunt. Scribit in lib. de Corrept. & gratiâ cap. 12. Adamum in tantâ non peccandi facilitate peccasse, cum ei, ut ait lib. 1. Retract. cap. 15. ab opere malo abstinendi summa potestas erat. Et ut plurima alia S. Doctoris testimonia brevitate gratiâ omittam, præclarissimam ejusdem sententiam recito ex lib. 6. Oper. imperf. con. Julianum num. 15. ubi ait fideles dicere: *Ne nos inferas in tentationem, propter hoc utique ne mala faciamus; undè & Apostolus dicit: Oramus autem ad Deum, ne quid faciatis mali. Quod si ita esset, in potestate, quomodo fuit ante peccatum, priusquam esset natura humana vitata, NON utique posceretur ORANDO, sed AGENDO potius teneretur.* Et statim: *Ideo in hoc agone magis nos Deus voluit orationibus certare, quam pugnare, quia & ipsas vires, quantas hic habere nos competit, ipse subministrat certantibus, quem rogamus.* Ex tot locupletissimis sententiis colligimus, Adamum habuisse magnas arbitrii vires, summam ac tantam non peccandi potestatem: at ob peccatum Adæ homines evasisse infirmos, amisisse vires, easque Dei gratiâ subministrari. At vires se tenent ex parte actus primi, cum corroborent potentiam, eamque compleant ad actum eliciendum. Hinc quò plus virium ac potentiarum habemus ad aliquid faciendum, eò minus indigemus rogare alterius auxilium ad illud exequendum; *Quis enim, inquit Augustinus conc. 4. in Plal. 118. se dicat optare, quod sic habet in arbitrii potestate, ut nullo indagens adiutorio, id possit efficere; quæ repetit lib. 2. de Pec. mer. cap. 6. Hac ratione nullus hominani corporis rogat Deum, ut possit manum elevare, pedem movere, oculos aperire, quia jam seit se integras vires ac potentiam proximè expeditam cum ordinario Dei concursu, ad eos motus faciendos habere. Si verò oculus humore contrariò inficiatur, aut pes podagrâ laboret, tum homo Deum rogat, ut utrique membro deperditam sanitatem ac vires pristinas ad videndum, ac ambulandum restituat. Jam verò in Adamo tantæ erant vires, tanta potestas faciendi mandati, ut non indigerit; teste Augustino, oratione ad majores vires impetrandas. Quid enim plus virium petiisset in tantâ non peccandi facilitate? At homo etiam justificatus, cum sit viribus destitutus, debilis, ac infirmus, non habet eam plenam ac proximè expeditam potestatem implendi mandata, undè ean-*

JANSENIUS.

Quincum itaque ex eodem principio consentaneum est, plurimis non dari istam faciendi præcepti possibilitatem, quæ precibus implorari solet. Lib. 3. de grat. Christi cap. 13. pag. 139. col. 1.

JANSENIUS.

Cum nec omnibus gratiam vel ferventer petendi, vel OMNINO peccandi Deus largiatur, aperitissimum est hæc libus multis deesse illam sufficientem gratiam, quam quidam prædicant faciendi præcepti, facultatemque. Ibidem pag. 140. col. 1.

JAN-

dem cogitur orando, à Deo impetrare. Hæc infirmitas oritur ex rebelli concupiscentiâ, ut patet ex Apostolo cap. 7. Epist. ad Romanos, cujus verba egregiè hanc in rem expendit Card. de Lauræa Opusc. 3. de grat. act. cap. 7. & 13. Eadem scribit idem Apostolus ad Galatas cap. 5. *Caro concupiscit adversus spiritum &c. ut non ea quæ vultis faciatis.* Quem textum appellans S. Doctor lib. 6. Oper. imperf. con. Julianum num. 8. ait: *Ubi tu, qui negas liberum arbitrium vires suas perdidisse peccando, id est malè se utendo, quid respondebis audiens, quòd carne concupiscente adversus spiritum, non ea quæ volunt, faciant & fideles; non ea quæ volunt, faciant etiam hi, quibus sunt in baptismo dimissa peccata &c.* Ita iusti patiuntur virium defectum, ac carent potentiâ plerumque proximâ & expeditâ ad implenda præcepta. Et propterea sacra Tridentina Synodus sess. 6. de Justificat. cap. 1. tradit non esse ob Adami peccatum extinctum liberum arbitrium, *viribus licet attenuatum & inclinatum; quæ virium attenuatio non aliud significat, quàm privationem potentiæ proximæ & expeditæ, qualis fuerat in naturâ hominis ante Adami peccatum.*

CAPUT II.

Antitheses Jansenii & Norisii de potentiâ proximâ ad orandum urgente præcepto.

Quæ hæcenus dicta sunt, Anonymo scrupulorum & Informationis auctori non multum displicere possunt, cum fateatur etiam iustos quandoque carere proximâ potentiâ adimplendi præcepti, habere eos tamen remotam, qua nempe possunt orare: quæ remota in ordine ad orationem est proxima; ideoque ait damnatam primam propositionem Jansenii, non quia simpliciter asserit, *aliqua Dei præcepta iustis &c. esse impossibilia*, sed quia addit, *deesse quoque gratiam qua possibilia fiant; cum possint orare Deum pro impetrandâ gratiâ necessariâ ad observationem præcepti, unde merito ob illam ultimam clausulam ea propositio ab Apostolicâ Sede damnata fuit.* Verum Auctor Scrupulorum pag. 13. scribit Norisium Jansenio similiter tradere: *Siquidem, inquit, eo iudice, quisquis præceptum aliquod violat is neque habuit potestatem proximam huius exequendi; neque rursus potentiam proximam orandi, sive aliud quid agendi, per quod posset obtinere auxilium, quo indiget &c.* Ita tota Jansenismi nota in eo apparet, quod Norisius insinuat negasse iustis instante præcepto proximam potestatem orandi, ut mediâ oratione gratiam adimplendo mandato necessariam, impetrent. Hæc importata Norisio calumnia nullâ evidentiori demonstratione confutari potest, quàm utriusque scriptoris sententiis unâ simul sub aspectum expositis. En tibi, candidè Lector, Jansenii ac Norisii antitheses.

NORISIUS.

Quare cum urgente quolibet præcepto, POSSIT HOMO ORARE DEUM, ut gratiam ad illius præcepti impletionem largiatur, signum est, gratiam illam non adesse semper in omnibus & singulis momentis. In Vindicijs cap. 3. §. 6. pag. 42. Col. 1. n. 47.

NORISIUS.

Quare cum instante quolibet præcepto legis, homo non irrisoriè, sed veraciter DEUM ORARE DEBEAT, ut sibi gratiam donet ad faciendum mandatum, signum est gratiam necessariam ad exequendum opus imperatum non adesse in omnibus & singulis momentis. In Vind. cit. eadem pag. col. 2. n. 65. NO-

JANSENIUS

NORISIUS.

Ita discimus non solum Judæis, sed & Christianis non solum carnalibus, sed & spiritualibus gratiam talem sufficientem ad id faciendum, quod jubetur, frequenter subtrahi, atque ita subtrahi, ut nec pro tali gratiâ adipiscendâ, deprecandi similis supplicans gratia habeatur. Lib. 3. de gratiâ Christi cap. 5. p. 113. col. 1.

Hæc hic opus est benignas interpretationes compingere, & machinis aliquid saltem disere, antiæ trahere, ut Norisii sententia à Jansenii opinione diversa judicetur. Utriusque effata contraria sibi invicem ita apparent, ut monstro propior videatur eorum similitudo, quæ ab Anonymo tantâ confidentiâ obruditur. Jansenius affirmat plurimis iustis urgente præcepto, non dari ejusdem faciendi possibilitatem, quæ precibus impetrari solet. Ita Jansenio docente, plures iusti urgente præcepto, non possunt orare. At Noris scribit: *Urgente quolibet præcepto potest homo orare Deum ut &c.* An non hæc utriusque dicta contradictoriè opponuntur? Scribit Norisius eodem loco, *quolibet instante præcepto hominem debere orare, ut Deus sibi gratiam ad exequendum mandatum largiatur.* Jungamus utrumque effectum: *Homo instante quolibet præcepto potest, & debet orare Deum, ut sibi gratiam ad illius implerendum largiatur.* Atenim Informator pag. 11. inquit, *quare Norisius ne verbo quidem ostendit, id quod tantoperè at rem præsentem pertrahat &c. iustum hunc non quidem habuisse vincendâ tentationis potentiam proximam, sed habuisse proximam orandi, vel agendi aliquid aliud, ex quo infallibiliter secutura fuisset potentia proxima vincendâ tentationis.* Quid ais, ne verbo quidem id Norisius ostendit? Quid hæc verba, cum Latine sapias, significant, *urgente quolibet præcepto potest homo orare Deum?* Estne præceptum vincendâ tentationis? Ita planè, inquit, ergo ex Norisii effectis tunc homo potest & debet orare Deum, ut gratiam sibi conferat ad tentationem vincendam. Ite nunc, & scrupulorum aciem densate, & Informationes efformate, ut doctissimis Censoribus Norisii Jansenismum demonstretis, unaque imperitis ac plebeis Italicis scriptunculis ficum faciatis. Acclamatis ex statutis à Norisio principiis Jansenianum dogma manifestè deduci. Iste sunt tam bella tamque bonæ illustrationes, iis planè persimiles, quibus in disputatione historica inferebatis, ab eodem infallibilitatem Apostolicæ Sedis in rebus fidei subverti.

Opponit Informator pag. 13. perperam à Norisio scribi hominem privari potentiâ, sive gratiâ proximè sufficienti, si ea ipso tempore offertur. *Sane, inquit, privari dicimur non eo omni quod abest, sed eo quod vellemus; additque privationem gratiæ non accipi pro qualibet absentia gratiæ, sed pro absentia cum impotentia obtinendi; veluti luce privari dicitur non quicumque non videt, sed qui non videt, nec videre potest.* Nam qui libens volensque lucente Sole oculos claudit, is privari luce non dicitur, quia penès eum est, ut aspiat. Hæc Informator. Verùm Norisius non dicit, ut jam prenotavi, hominem privari gratiâ, quasi Deus à suo decreto sanciverit; cum enim offerat gratiam, si oret, qui fieri possit, ut Deus habeat absolutum decretum gratiæ denegandæ? Scribit ille hominem ex peccato Adæ incidisse in privationem potentiæ proximæ, servandæ legis. Quid si Deus gratiam proximè sufficientem nolit dare, nisi ab homine exoratus, jam decretum largiendi gratiæ, aut denegandæ, est conditionatum, nempe si homo oret, aut non oret. Si

Nam dum petis, ut possis, profecto sentis te urgeri præcepto, & simul cognoscis te destitutum gratiâ proximè sufficienti ad opus implendum, unde ORAS, ut eandem tibi Deus largiatur. In Vindiciis loco citato pag. 43. col. 1. p. 27.

quis alteri quidpiam sub conditione promittat, nonne is habebit rei promissæ privationem, quousque positam conditionem adimpleat? Exemplum de illo, qui volens oculos claudit, ne videat, est prorsus impertinens. Nam privatio potentiæ proximæ non est liberè sibi ab homine inducta, sed est pœnalis infirmitas voluntatis, ac cæcitas intellectus, quo duplici vulnere humana natura Adamo peccante contabuit. Hæc in lib. 3. de Lib. arb. cap. 18. docet Augustinus: *Homo nec habet in potestate, ut bonus sit: sive non videndo qualis esse debeat, sive videndo, & non valendo esse qualem debere esse se videt. Pœnam istam esse quis dubitet? Homo cæco oculo mentis natus est, coactus, ut ait idem lib. de Nat. & grat. cap. 15. medicum quæret, qui cæcè oculos sanaret, & videndi possibilitatem restitueret, quæ fuerat amissa per cæcitatē: quoniam cæcus puo quod velit videre, sed non potest; si autem vult, & non potest, inest voluntas, sed amissa est possibilitas.* Barbaris nationibus hæc pœnalis cæcitas incubat: at iusti baptizati, fide jam sciunt quid sibi agendum est, edocti divina mandata. At ipsos alterum pœnale malum, nempe virium infirmitas premit, *videndo, & non valendo esse quales debere esse se vident.* Audis quid divina gratiæ Doctor maximus dicat? *Inest voluntas, sed amissa est possibilitas.* Hæc quid aliud est quàm privatio potentiæ proximæ expediri ad facienda præcepta? Sine igitur hunc orare Deum, ut pœnalem privationem gratiæ proximè sufficientis dono dispellat.

Rursus objicit Informator pag. 9. *Norisius negat, inquit, infidelibus adesse gratiam orationis, aut ullum modum imperandi auxiliis proximè sufficientis, neque enim ullum agnoscit seclusâ fide, qua illi carent; vult tamen eos non excusari, quia habent auxilia quedam remota.* Equidem rectè Norisius negat adesse infidelibus gratiam orationis, id enim ex manifestâ Apostoli sententiâ prædocuit S. August. in Epist. 170. ad Vitalem, ubi de infidelibus nuper conversis ad fidem ait: *Et velle incipiunt quod volebant, & habere fidem, quam non habebant, quod ut fiat in eis, oratur pro eis, quantum non oratur ab eis.* Ipsi enim quomodo invocabunt, in quem non crediderunt (Rom. X. 14.) *Cum verò factum fuerit quod oratur, ei qui fecit, aguntur gratiæ, & pro eis, & ab eis.* Idem de Paulo Apostolo ait serm. 36. *Et ut ostenderet fidem fontem esse orationis, nec posse ire rivulum, ubi caput fontis siccaretur, adjunxit, atque ait, Quomodo autem invocabunt, in quem non crediderunt? Ergo, ut oremus, credamus &c.* Etenim si infideles orarent Deum, non possent non credere, Deum sibi ipsis opem laturum; non ergo essent infideles, quippe qui orantes, in Deum ac Deo crederent. Norisius in Vindiciis cap. 3. §. 4. pag. 22. col. 1. ostendit ex S. Augustino in lib. de Prædest. Sanct. cap. 7. Cornelium Centurionem piis elemosynis impetrasse divinam gratiam, qui Centurio, ut ait S. Doctor, *nec tamen sine aliqua fide donabat, & orabat.* Nam quomodo invocabat, in quem non crediderat? Jam superius adverti à Theologis auxilia sufficientia datâ infidelibus, appellari ab ipsis remota, & remotissima; in quo autem consistant, non conveniunt Scholastici, & Pater Macedo in Scrinio Augustiniano cap. 11. prolixâ disputatione

re

dubios monstrat & incertos quocumque modos, quibus haec dicitur Doctores hac remota auxilia sufficientia infidelibus à Deo collata explicarunt. Et ut ceteros omittam, Vasquez 1. 2. disp. 189. cap. 14. & alibi tradit ea auxilia remota consistere in cogitatione congrua ordinis naturalis, quae est gratia itidem ordinis naturalis, qua si bene utantur infideles servando legem naturalem, Deus postea conferret illis gratiam proximè sufficientem ordinis supernaturalis qua proximè possint ad fidem converti. At Suarez lib. 4. de Grat. toto capite 14. acerrimè hoc auxilium sufficientem ordinis naturalis eo fine à Vasquo invecum confutans, in fine concludit: *Propter haec ergo non videtur per illum dicendi modum, convenienter fieri satis difficultati propositae, nec sufficienter vitari Semipelagianorum doctrinam.* Et cap. 15. num. 19. ait in opinione Vasquez non recedi in re ipsa à sententiâ Cassiani & Faustii, qui duo fuerunt Semipelagianorum factionis principes. Idem verò Suarez aliorum opinionibus gravi rationum pondere prostratis, tandem cap. 15. num. 38. concludit conditionem, sub qua Deus promittit infidelibus & omnibus adultis *Proximum auxilium sufficientem ad salutem, seu fidem, esse negativè intelligendam, id est, si homo ex parte sua impedimentum divinae vocationi non posuerit.* Verum Vasquez in 1. p. disput. 91. cap. 12. num. 98. hanc conditionem per accidens remotentem sola impedimenta ad recipiendam gratiam, vocat asserunt, quo sane, inquit, meo iudicio multi Massilienses contenti essent. Viden', uti duo isti Theologi celeberrimi in exponendâ notione auxilii remoti infidelibus collati, murò sibi Semipelagianismum obijciunt. Itaque Norisius in re dubia & obscurâ explicatu dixit pag. 92. Vindictarum, dari infidelibus à Deo auxilia tantum remota, nempe cogitationes quasdam bonas, sed adeò debiles, ut voluntatem ad virtutem non pertrahant, cum eadem longo celerum usu obsecrata indurecat.

S I.

Norisius admittit etiam in statu naturæ lapsæ adjutorium sine quo non, secus Jansenio sentiente. *Eo adjutorio sunt actus boni minus perfecti. Actus intellectus ac voluntatis constituentes potentiam proximam orandi ex sancto Augustino demonstrantur. Eiusdem celeberrimi sententia: Quae lex imperat, fides impetrat, exponitur.*

Ad Triarios ventum est. Hic enim præcipua difficultas ab Informatore pag. 10. Norisio opposita, superanda est, quod plene præstare nequeo, nisi plura explanando, quæ hocce argumentum asperant, multisque curam non mediocrem injiciunt. Norisius in Vindictis cap. 2. pag. 8. col. 1. ostendit ex S. Augustino contra Jansenium nos interiori Dei gratiæ reapse solistere, ubi hæc ait: *Cum adjutorium ministratum Angelis ante lapsum, dari etiam in statu naturæ lapsæ quibusdam, aliis in penam peccati non dari, cum, inquam, ista Augustinus docet, de alterâ gratiæ specie debili, incongrua, & remotè sufficienti loquitur.* At Jansenius toto lib. 2. de gratiâ Christi conatur ostendere adjutorium Angelis ac primo homini innocenti collatum, nulli in naturâ lapsâ conferri, & huic esse profectus inutile; & cap. 29. pag. 88. col. 2. ait: *Augustinus docet adjutorium Angelorum & primi hominis fuisse dumtaxat sine quo non, secundi hominis, quo, quod sexagenis nobis eo modo interpretatur.* En alterum & quidem maximum ac capitale Norisianæ doctrinæ à Janseniana discrimen. Interim quod ille scripsit hominem gratiæ remotè sufficienti resistere, Informator utra-

que voce arrepta, hoc ratiocinio Norisium impugnat pag. 10. (Præterea gratiam, cui resistitur, declarat esse dumtaxat remotè sufficientem: quibus verbis aperte demonstrat justos, qui urgente tentatione, orare negligunt, non habere gratiam proximè sufficientem ad orandum sicut oportet; si enim haberent, non ei resisterent, ut ipse contendit; orarent ergo, & exaudirentur; sicque non deesset illis auxilium proximè sufficiens vincendæ tentationis. At non orant; unde nec habent auxilium proximè sufficiens ad orandum) Ita ille argumentatur.

Norisius uti proximè notabam, affirmat etiam in statu naturæ lapsæ dari adjutorium sine quo non, secus ac Jansenius contendit, quod quidem adjutorium efficit in nobis, ut loquitur P. Macedo in Scrinio laudato cap. 6. pag. 65. *voluntates parvas & infirmas, non validas & robustas, quibus præcepta non implentur.* Adjutorium verò quo semper est efficax, atque reddit voluntatem magnam, validam, ac robustam. Porro illud adjutorium sine quo non in statu naturæ lapsæ eandem notionem retinet, quam in naturâ integrâ habebat, atque adeò ut agat, motum voluntatis cui idemmet cooperatur, expectat, uti subius explicat S. Doctor in lib. de Cor. & grat. cap. 11. & 12. qui eo cap. 11. hæc etiam scribit: *Si autem hoc adjutorium vel Angelo vel homini, quum primum facti sunt, defuisset &c. non utique sua culpa cecidissent. Adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam poena peccati est: quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum, ET TANTO AMPLIUS datur per Christum D. N. quibus id Deo dare placuit, ut non solum adsit, sine quo per manere non possumus, etiamsi velimus, verum etiam tantum ac tale, ut velimus.* In priori parte recitatæ doctrinæ deseribi auxilium sine quo non pure sufficiens, omnes concedunt. Cum verò ait *quibus autem datur*, idemmet adjutorium sine quo non designat. At cum addit *& tanto amplius datur*, exprimit adjutorium quo, sive gratiam efficacem. Jam verò adjutorio sine quo non, movetur voluntas ad eliciendos actus debiles, nempe desideria, conatus, orationes minus fervidas, pro adimplendis mandatis, in ordine ad quorum executionem adjutorium sine quo non est tantum auxilium remotum, impetratorium tamen auxilii quo, sive gratiæ efficacis ac victricis, qua solâ mandata reapse implentur. Hinc laudato loco pag. 65. Macedo scribit: *Igitur ad huiusmodi actus imperfectos, quæ sunt inchoata desideria boni in peccatoribus & justis, istud adjutorium sine quo non & exigitur, & invenitur.* Augustinus lib. de Grat. & libero arb. cap. 17. scribit: *Qui vult ergo facere Dei mandatum, & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam.* Illa bona voluntas est ab adjutorio sine quo non, quo desiderium præcepti implendi excitatur; qui tamen motus est invalidus, nisi adjutorium quo roboretur. Plura ad hoc ipsum habet S. Doctor in superiori cap. 15. *Ut homo qui voluerit, & non potuerit, nondum se plene velle cognoscat, & oret, ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implexa mandata; tanta autem voluntas habetur ab adjutorio quo; prior verò quæ est purum desiderium, ex adjutorio sine quo non derivatur.* Et in lib. de Nat. & grat. cap. 15. *Conetur ergo, inquit, anima domare linguam, & dum conatur, poscat auxilium, & oret lingua, ut dometur lingua.* Ille conatus & oratio sunt cum adjutorio sine quo non; ipsam vero linguam reapse domare, est effectus adjutorii quo, ac gratiæ victricis. Hoc ipsum probatur ex lib. S. Doctoris de Nat. & grat. cap.

cap. 68. ubi cum dixisset, Deum non præcipere impossibilia, ait: *Hinc admonemur & in facilibus quid agamus, & in difficultibus quid petamus.* Igitur opera facilia, seu actus bonos minus perfectos facere possumus absque eo, quod majus & ulterius auxilium à Deo postulemus: quod tamen in actibus perfectioribus ac difficultioribus suppliciter petendum est. Idem in Epist. 89. ad Hilarium scribit: *Quia etsi possit, antequam petat, quid ei prodest, nisi illi agat gratias ex eo quod potest, à quo petendum est quod nondum potest?* Hic S. Doctor loquitur de potentia proximam nondum actum bonum operante; siquidem ait: *etsi possit, antequam petat, aliàs si jam actum bonum eliceret, irrisorie peteret, ut posset elicere.* Quare illud adiutorium est sine quo non, constituens voluntatem in potentia proximam ad faciendos actus bonos remissos ac minus perfectos, absque eo quod indigeat ulterioris auxilii additione, quod tamen petendum est, cum vult agere quod nondum potest, nempe actus bonos validiores ac perfectiores, qui, quas actu habet, vires exuperant.

Ceterum manifestum est potentiam ad orandum, debere esse proximam in iusto sive fidei; nam si fidelis sit in potentia remota ad simpliciter orandum (non enim hic loquor de fervida & diuturniori oratione) non habet is aliam potentiam proximam pro impetranda oratione, aliàs procederet in infinitum. Quomodo autem homo fidelis habeat semper, nisi ipsemet obicem ponat, potentiam proximam ad orandum, ex Augustinianâ doctrinâ paucis exponam. Ut quis sit in potentia proximam ad orandum pro impetranda gratia efficaci ad implendum præceptum, debet prius credere illud sibi à Deo præcipi. Augustinus conc. 17. in Psal. 118. ait: *Quid est ergo mandatis tuis credidi, nisi credidi, quod tu illa mandaveris, non aliquis homo.* Præter hunc actum fidei, quo creditur Deo jubenti, requiritur actus dilectionis in voluntate, quo homo desiderat exequi id, quod sibi à Deo præcipitur; unde S. Doctor laudato cap. 17. de Grat. & lib. arb. ait: *Qui vult ergo facere Dei mandatum, & non potest, &c. ideo enim orat pro adimplendo præcepto, quia vult seu desiderat implere præceptum.* Hinc S. Fulgentius lib. 1. de Verit. prædest. cap. 17. exponens brevem illam Apostolorum orationem; *O Domine, auge nobis fidem,* Lucæ XVII. 5. ait: *Quia gratia, qua illis initium fidei contulerat, ipsa in eis augenda desiderium suscitabat.* Cognitio præcepti est ex gratia illuminationis in intellectu; desiderium verò faciendi præcepti ex inspiratione sanctâ in voluntate. Præter ambos actus, requiritur tertius actus intellectus, quo homo cognoscit, se non habere vires ad exequendum mandatum, suamque infirmitatem edoctus, vi duorum actuum præcedentium constituitur in potentia proximam ad orandum. Nam cum fidelis experiatur, se à rebelli concupiscentiâ in contrarium trahi, sequæ fieri invalidum ad faciendum præceptum, eâ ipsâ cognitione propria infirmitatis repercussus, ex fide ac dilectione præhabita, proximè excitatur ad postulandum auxilium. Augustinus Epist. 89. ad Hilarium quæst. 2. ait: *Jubet ergo, ut facere iusta conati, & in nostrâ infirmitate sub lege fatigati, adiutorium gratiæ poscere noverimus.* Videtur lib. 4. ad Bonifacium cap. 5. S. ideo sic expressum est. Actus autem quo suam infirmitatem homo cognoscit, est naturalis, & experientia sentitur; est enim attractio violenta concupiscentiæ à bono retrahentis, & obstitentis. Apostolus ad Rom. VII. 18. ait: *Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non invenio &c.* Condeletor enim legi Dei secundum interiorem hominem. *Video autem aliam legem in membris meis,*

repugnantem legi mentis meæ. Cum dicit velle adiacet mihi, monstrat, se bonum lege præceptum cognoscere & desiderare. Verum cum ait, *video autem aliam legem, suam se cognoscere infirmitatem ostendit, ac fateatur se non posse præceptum implere ob repugnantem concupiscentiam.* Et S. Augustinus lib. 8. Confess. cap. 5. initia suæ ad Deum conversionis describens, ait: *Voluntas autem nova, que mihi esse cæperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem, sola certa iucunditas, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam &c.* Sic intelligebam meo experimento id, quod legeram, quomodo caro concupisceret adversus spiritum. Idem docuere insignes ejusdem sectatores, S. Prosper in Psal. 106. *Humiliati ergo, inquit, sunt per experimenta impossibilitatis suæ, & invenerunt se sine Dei adiutorio nihil posse.* Et S. Fulgentius in Epistolâ ad Probam cap. 20. scribit: *Quisquis igitur beneficium rogat, & adiutorium flagitat, necesse est, & ut evidentiam suâ imbecillitatis & egestatis agnoscat; & ideo egestas nostra dari sibi quod non habet, poscit.* Itaque actus, quo nostram infirmitatem, idest privationem potentia proximæ faciendi mandati cognoscimus, experimento & evidentia naturali sine ullo speciali auxilio à nobis intelligitur. Hæc est prima, quam à lege percipimus utilitatem: uti passim S. Augustinus inculcat scribens, legem homini suam infirmitatem ostendere, eumque ad orationem pro viribus ex gratia obtinendis impellere. Ex sexcentis, unum S. Doctoris testimonium appello ex Epist. 200. ad Aselicum Episcopum: *Utilitas itaque legis est, ut homines de suâ infirmitate convincant, & gratiæ medicinam, qua in Christo est implorare compellant.*

Ita fidelis sive justus cognoscens se non posse mandatum facere, per actus fidei ac dilectionis constituitur in potentia proximam ad orandum, fide spem in Deum excitante; nam ut ait S. Doctor Serm. 3. de verbis Apostoli: *Quod enim lex imperat, fides sperat.* Homo enim fidelis credit Deum uti dominum sibi præceptum imponere, dicente Augustino conc. 2. in Psal. 70. *Quomodo eris sub domino, nisi fueris sub præcepto?* Præterea eadem fide credit Deum tamquam adiutorem vires ministrare, ad implendum præceptum. Nam in Psalms 18. 27. &c. *Dominus adiutor laudatur, quod egregie explicat Augustinus conc. 17. in Psalms 118. dicens: Quia itaque credidi tua esse mandata, ipsa fides mea, qua id credidi, impetret abs te gratiam, qua faciam quod mandasti. Si enim homo mihi hæc jubet forissecus, nunquid etiam, ut facerem quod jubebat, adjuvaret intrinsecus?* Et in lib. de Spir. & lit. cap. 10. ait hominem fieri iustum ex lege fidei, qua credidit nullo modo posse suam infirmitati ad implenda ea, qua lex factorum jubet, nisi divinâ gratiâ subveniri. Rursus desiderium, quo homo fidelis vult facere præceptum, sed ob virium defectum non potest, eo infirmitatis obice repercussus intenditur, & impellit hominem ad orandum pro viribus impetrandis. Idem S. Pater in lib. de Grat. & lib. arbitrio cap. 18. ait: *Nisi quia præcepto admonitum est liberum arbitrium, ut quaereret Dei donum? Quod quidem sine suo fructu proxiis admoneretur, nisi prius acciperet aliquid dilectionis, ut addi sibi quaereret, unde quod jubebatur, impleveret.* Et S. Fulgentius in Epistolâ ad Probam capite 2. *Quis enim, inquit, vel orare competenter valeat, nisi medicus ipse nobis initium desiderii spiritualis infundat? Illud aliquid dilectionis, seu desiderium spirituale, statim ac fidelis expertus est, se non posse implere præceptum, eundem excitat ad Dei auxilium implorandum. Audiendus iterum Augustinus hæc pro concione dicens*

in

in Psal. 106. *Audit, vive bene secundum quod nosti &c. Conatur, & non potest; ligatum se sentit.* Exclamat ad Dominum. Habes hic actum fidei quo credit Deo imponenti præcepta bene vivendi. Rursus non tantum habet desiderium eadem exequendi, verum etiam conatur illa facessere. At ubi cognoscit semet propria infirmitatis vinculis impediri, opem à Deo impetraturus, exclamat, eo videlicet spiritali desiderio impellente, quo antè infirmitatis experientiam, volebat mandatum implere. Idem in Psal. 118. conc. 10. *Quid est, inquit, inclinatum cor ad aliquid habere, nisi hoc velle? Et voluit ergo, & orat, ut velit. Voluit cum dixit: Deduc me in semitam radiorum tuorum, quia ipsam volui; orat autem, ut velit, cum dicit: Inclina cor meum &c. Hoc itaque orat, ut ipsa voluntate proficiat: Quod exemplo etiam exponens, ait: Quemadmodum si poculum plenum teneas, & sitienti dare incipias, & haurit bibendo, & poscit desiderando. Illa ergo aliqua dilectio, ac desiderium spirituale jam in voluntate accensum, quo iustus seu fidelis vult facere præceptum, compertâ virium debilitate, excitat eundem ad auxilium poscendum; nempe ut laudato cap. 15. de nat. & grat. scribit: *Dum conatur, poscat auxilium.* Tum primum conatur, cum animadvertit suam sibi volenti præceptum implere, infirmitatem obsistere; igitur tunc potest orare; siquidem facilius est implorare alterius auxilium, quam per semetipsum conari. Denique idem Augustinus in Psal. 32. ait: *Quia utique si credis, caves; si caves, conaris, & conatum tuum inspicit Deus &c.* ut conatus ille implendi præcepti ex actu præexistenti fidei deriveret. Ex illo desiderio implendi præcepti, ac iudicio practico propria infirmitatis, ejusque confessione, divina gratia impetratur; etenim S. Doctor conc. 27. in Psal. 118. ait: *Quid desiderabat, nisi facere mandata divina? Sed non erat unde faceret infirmus fortis, & parvulus magna. Aperuit os suum confitens, quod per se ipse non faceret, & attraxit unde faceret. Aperuit os petendo, quaerendo, pulsando, & sitiens hausit spiritum bonum, unde faceret, quod per se ipsum non poterat, mandatum sanctum & bonum &c.**

Celeberrima est S. Doctoris sententia, & passim in ejusdem scriptis occurrit: *Fides orando impetrat, quod lex imperat.* In lib. de Grat. & lib. arb. cap. 16. In lib. de Nat. & grat. cap. 16. De perfect. Justit. cap. 4. In Enchirid. cap. 117. Serm. 3. de verb. Apostoli. Epist. 89. & ferè ubique. Exponit insigne illud apophthegma conc. 10. in Psal. 118. expendens verba Apostoli ad Romanos III. 17. *Ubi est gloriatio tuas Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non: sed per legem fidei: atque ita ratiocinatur: Hæc est lex fidei, qua credimus, & oramus per gratiam donari nobis, ut faciamus, quod per nosmetipsos implere non possumus.* Idemque pertractans in lib. de Spir. & lit. cap. 13. ait: *Ac per hoc lege operum dicit Deus: Fac quod jubeo; lege fidei dicitur Deo: Da quod jubes. Ideo enim jubet lex, ut admoncat, quid faciat fides, id est, ut cui jubetur, si nondum potest, sciat quid petat, si autem continuo potest, & obedienter facit, debet etiam scire, quo donante facit.* Ex quibus colligimus in fideli unâ cum lege reperiri potentiam proximam ad orandum, quæ est veluti lex ex Dei promissione nobis donata, qua eidem Deo dicimus: *Da quod jubes*, quam alteram sibi familiarem sententiam mirificè ex sacris literis illustrat lib. 2. de Peccat. mer. capite 5.

Hic tamen removenda est difficultas, quæ hætenus dictis opponi potest. Nam si duo fideles velint servare præceptum, quod secundum præsentem quas habent vires, non possunt, ambo habent adjutorium sine quo

non, id est, potestatem proximam orandi pro majori auxilio impetrando, unus prohibito orabit, alter autem non orabit; igitur orans solâ determinatione suæ voluntatis se discernet à non orante, secus ac docuit Apostolus in Epistolâ 1. Cor. IV. 7. *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti?* Nam ut ait Augustinus Epist. 46. ad Valentinum ac sub eo monachos Hadrumetinos, ille qui oravit, posset respondere vel voce, vel cogitatione, & dicere, *discernit me fides mea, discernit me oratio mea, discernit me iustitia mea.* Et in Epistolâ 105. ad Sixtum postea Romanum Pontificem scribit: *Etiâ ipsa oratio inter gratia munera reperitur.* Quid enim oremus, ait Doctor gentium, sicut oportet nescimus, sed ipse spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *Quid est autem interpellat, nisi interpellare nos facit?* Et producto altero testimonio ex Epistolâ ad Romanos cap. XIII. 15. in quo clamamus: *Abba (Pater) ait: Ita sine spiritu fidei non est rectè quisquam crediturus, nec sine spiritu orationis salubriter oraturus.* Fateor me in vado hærerè. Nam quàm facile mihi fuit à Norisio Jansenismi calumniam avertere, tam difficile est, ejusdem sententiam à conspiratione cum opinione antagonistarum Jansenii vindicare. At cum conflet ipsum admittere in statu naturæ lapsæ adjutorium sine quo non, ut patet ex appellato locupletissimo ejusdem testimonio, divini generum actus proximè distincti ut tenuiores actus boni, & debiliores possint reapse fieri à voluntate cum solo adjutorio sine quo non; cum tamen actus validiores & robustiores debeant ab adjutorio quo procedere. Hac divisione jam superius probatâ, concedo orationem intensam ac ferventiorè ab adjutorio quo dependere, quo fit, ut ardentè oremus. Hac de oratione intelligendum est S. Doctor in eâ ad Sixtum Epistolâ, & cum ibidem ait hominem divinâ gratiâ à peccato liberari impariio salubriter orationis affectu & effectu; & similiter eum lib. 2. de Pec. mer. cap. 19. scribit: *Et nos vigilanter oremus, & ipsum deprecemur ardentè simul intelligentes, & quod sic conemur, & quod sic deprecemur, dono illius nos habere &c.* Cum verò S. Doctor ex illo testimonio Apostoli probat neminem discerni suâ oratione à non orante, contra Pelagianos loquitur, qui viribus naturæ orandi Deum facultatem tribuebant, ut omnem Dei gratiam excluderent, quem errorem Semipelagiani uti capitale dogma retinuerunt. At juxta propositam sententiam oratio dependet ab actu per spem operante, ac dilectione, seu desiderio implendi præcepti, qui actus ab efficaci gratiâ dependent, ac sunt illustrationes intellectus, ac sanctæ inspirationes voluntatis, sine quibus quemadmodum oratio fieri nequit, ita si eadem oratio fiat, ab iisdem tanquam à causis principalibus dependet. Hinc Augustinus in eadem Epistolâ ad Sixtum ait: *Quapropter ne se vel ipsius orationis meritum extollat &c. adjutorium datur oranti; fides orat, quæ data est non oranti, quæ utique nisi data esset, orare non posset.* Hac sanè interpretatione laudata Apostoli verba exposuit S. Doctor in Epistolâ 106. ad Paulinum, ubi de homine justificato, ait: *Quia cum dixerit, ut merear justificationem, habeo fidem: responderetur ei, Quid enim habes quod non accepisti? Cum ergo fides impetrat justificationem &c. non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani, sed ipsa gratia meretur augeri, ut antea mereatur fieri, comitante, non ducente, pedisequâ, non præviâ voluntate; quia etiam homo dum orat, præmoveatur ex inspiratâ dilectione præcepti, ac desiderio ejusdem implendi. Plures actus ad actualem impletionem præcepti necessarios, eosque concatenatim connexos*

ex sacris literis describit Augustinus in lib. de Spir. & lit. cap. 30. ubi ait: *Per legem cognitio peccati; per fidem imperatio gratia contra peccatum &c.* quod nempe fides est fons & origo orationis. Jam verò cum oratio tenuis, non autem terrens ac intensa, ex desiderio implendi præcepti dependeat, ipsum verò desiderium sit actus voluntatis debilis ac invalidus ad præceptum exequendum sine ulteriori auxilio, proinde eadem oratione hoc ipsum auxilium postulat. Hinc patet, cur Norisius dixit, hominem resistere gratiæ debili ac remotæ; illam enim debilem vocavit, quia cum sit adjutorium sine quo non, *parvas tantum & invalidas voluntates efficere potest*, uti ex S. Augustino lib. de Grat. & lib. arbitrio cap. 17. prænotavi. Idem in lib. de Cor. & grat. cap. 11. comparans gratiam à Creatore Adæ collatam cum gratiâ à Salvatore nobis obtentâ, ait: *Hæc est prima gratia, quæ data est primo Adam; sed hæc potentior est in secundo Adam. Prima est enim, quæ fit, ut habeat homo justitiam, si velit; secunda ergo plus potest, quæ etiam fit, ut velit &c.* Nec illa parva erat, quæ demonstrata est etiam potentia liberi arbitrii, quia illa sola poterat in tantâ non peccandi facilitate, ut ait cap. 12. præcepta adimplere. At in statu naturæ lapsæ ob penalem infirmitatem, adjutorium sine quo non est parva gratia, quod si solum haberetur sine gratiâ victrici, homines, ut ait eodem cap. 12. S. Doctor, non possent in acceptâ justitiâ ac sanctitate perseverare, quia deficientes infirmitate nec vellet, aut non ita vellet infirmitate voluntatis, ut possent. Ita in statu naturæ lapsæ adjutorium sine quo non dare potest tantum voluntatem seu desiderium implendi, non vires reapse exequendi præcepti ardui ac difficilis.

§. II.

Homo ex liberâ suppositione judicii practici erronei obicem ponit potentiæ proximæ ad orandum. Id exemplo D. Petri ex sancto Augustino demonstratur.

CUM Auctor scrupulorum toto §. 6. & Informator §. 2. pag. 12. historiam damnatæ Anno 1655. à Theologicâ Facultatæ Parisiensi famosæ propositionis Doctoris Antonii Arnaldi recitent, eamque ipsam thesim à Norisio assertam publicent, operæ præcium duxi hanc quoque calumniam non tantum refellere, sed rem ipsam controversam unius S. Augustini doctrinâ explicare. Itaque narrant Arnaldum afferuisse Divo Petro tentatione pulsato, defuisse gratiam proximè sufficientem ad evitandam negationem. Qui cum nolisset eam gratiam admittere, Doctorum albo erasus, solum non quidem vertere, sed mutare coactus fuit. Eò tota controversia redacta erat, num homo justus instante præcepto habeat potentiam proximam ad orandum, cui quæstioni cum putem me proximè satisfecisse, unam tamen exceptionem subdendam existimo. Nam quamvis Norisius palam & apertè testetur, hominem urgente præcepto, posse ac debere orare pro impetrandâ gratiâ ad mandati impletionem necessariâ, id intelligendum est, nisi homo ponat obicem, suoque vitio se ea potestate proximâ ad orandum privet, quod impedimentum reapse opponi posse demonstro.

Cum ad orandum pro impetrandâ gratiâ necessariâ ad exequendum præceptum, concurrant notitia præcepti, desiderium ejusdem faciendi, ac judicium practicum propriæ infirmitatis, idè enim oramus, quia cognoscimus deesse nobis vires ad faciendum

quod nobis præcipitur, ut enim ait Augustinus Epist. 105. *Si in potestate haberetur, non utique posceretur; ac proinde ex eodem S. Doctore ac Synodo Tridentinâ orando petimus quod non possumus*: Hinc si homo formet judicium practicum prorsus oppositum, nempe judicet se posse sine ulteriori Dei auxilio mandatum implere, ponit obicem orationi faciendæ, nec est in potentiâ proximâ ad orandum. Pelagiani putabant eâ Dei gratiâ, quam Catholica Ecclesia docet, everti liberum arbitrium, ac omnium virtutum merita suffocari. Hoc erroneo judicio obcecata, non erant in potentiâ proximâ ad orandum pro impetrandâ gratiâ ad exequenda præcepta. Ita censuit S. Innocentius Papa scribens in Epistolâ ad Patres Synodi Carthaginensis: *Negantes enim adjutorium, non aliis, sed sibi hoc penitus abstulerunt.* Cujus rationem tradit Augustinus lib. 3. ad Bonifacium cap. 7. dum ait: *Putant enim se arbitrii sui viribus implere legem jubentem, & ISTA IMPLICATI SUPERBIA, ad gratiam non convertuntur jurantem.* Idem argumentum repetens tract. 53. in Joannis Evangelistæ verba cap. XII. 39. *propterea non poterant credere &c.* ait: *Hinc & illi non poterant credere, non quia mutari in melius homines non possunt, sed quandiu talia sapient, non possunt credere.* Hinc excacantur, & indurantur, quia negando divinum adjutorium, non adjurantur. Quare ex magni Doctoris sententiâ, qui putant suis tantum viribus sine Dei adjutorio posse servare mandata, quousque talia sapient, potentiam proximam ad orandum pro impetrando adjutorio non habent, quantum primum recipient, cum erroneum illud judicium deponant. Ita passim Theologi tradunt eum qui ex conscientia erroneâ operatur, non esse in potentiâ proximâ ad observandum præceptum, cuius oppositum tunc erronea conscientia faciendum dicitur. Exemplum defumo ex Suarez lib. 4. de Grat. cap. 20. num. 11. *Sicut aqua nondum calida non potest dici proximè potens ad calefaciendum; jam verò calefacta, rectè dicitur proximè sufficiens.* Sed simile exemplum aliâ occasione adducit Augustinus in lib. 83. Quæst. hæc quæst. 66. de nive scribens: *Non calefacit, nec enim potest. Quandiu enim nix est, non calefacit; sed resolvi potest, & fervere, ut calefaciat &c.* Omnia hæc in brevem syllogismum coarcto. Homo ut sit proximè potens orare, debet habere judicium practicum propriæ impotentia proximæ; ac necessitatis majoris gratiæ impetrandæ; sed qui de suis viribus præsumit, non habet judicium practicum propriæ impotentia proximæ ac necessitatis majoris gratiæ impetrandæ; ergo is non est proximè potens orare. Major est certa, quia petimus orando quod proximè non possumus facere. Minor æquè vera est, quia præsumens de suis viribus, putat per semet posse aliquid facere secundum præsentem quas habet vires, sine alterius cujuscumque adjutorio. Quare sicut aqua quatenus est frigida, non est proximè potens calefacere, ita homo quatenus est præsumens de suis viribus, non est proximè potens petere vires ab alio. Hinc S. Doctor putavit, intelligi posse, cur cum plures Confessores fidei Christianæ à tyrannis tormentis subijcerentur, nonnulli eorum à fide defecerint. Nam conc. 1. in Psal. 90. de iisdem ait: *Multi defecerunt. Et, credo illi defecerunt, qui de se præsumperunt &c.* Sed viribus suis multum dederunt. Et iterum in Psal. 102. *Qui ergo defecerunt, Dominum non invocaverunt, de sua fortitudine præsumperunt.* Eadem repetit conc. 13. in Psal. 118.

Positâ, ac concessâ hac doctrinâ, ad casum D. Petri descendendo, ac facilè respondeo, defuisse eidem gratiam

am proximam ad orandum pro impetrando ulteriori adjutorio necessario ad superandam tentationem negationis, si eidem gratiæ Petrus de suis viribus præsumens, obicem liberè opposuit. Num reapse talem obicem opposuerit, est quæstio facti, in qua S. Augustinus suis in libris sapissimè ac constanter asseveravit D. Petrum de suis nimium viribus præsumpsisse. In primis docet Petrum tentatione pulsatum non habuisse reapse vires resistendi tentationi. Nam in sine enarrationis in Psal. 140. comparans Petrum cum Joanne Baptista, hæc ait: *Quia enim si fieret impetus propter Christum in Joannem, non negaret. Erant quippè in illo magne vires, quibus appellatus est amicus sponsi. Magna in illo gratia, magna excellentia &c.* Ergo in illum impetus factus est, qui non habebat tales vires. Fit impetus in Petrum, non fit in Joannem. Etenim vires ipsas Petrus post accepit, tunc autem infirmus fuit. Pro Christi nomine ille interrogatur, qui vires non habebat. Ille qui habebat vires, non patitur persecutionem pro Christo. Hic loquitur de viribus, quæ in habitu charitatis continentur; siquidem qui intensiorem habet charitatem habitualement, majores etiam vires habet ad resistendum tentationi, undè idem S. Doctor in lib. de Sanctâ Virginitate cap. 47. cum dixisset quasdam conjugatas posse pro fide Christi resistere tormentis, quibus sufferendis aliquæ virgines pares sunt, ait: *Latent ista in facultatibus & viribus animorum, tentatione panduntur, experientia manifestantur; nempe latent in habitu intensioris charitatis.* Eadem scribit de patientiâ Job in cap. 21. libri de Bono conjugali. Charitas autem tum habitualis tum etiam actualis varios habet gradus, undè dicitur Augustino in lib. de Nat. & grat. cap. ult. *Charitas ergo inchoata, inchoata justitia est; charitas provelta, provelta justitia est; charitas magna, magna justitia est; charitas perfecta, perfecta justitia est; & statim: quæ maxima est in hac vita, quando pro illâ ipsâ contemnitur vita.* Maxima erat charitas habitualis in Joanne Baptista, qua potens erat in actu primo, ut Scholastici loquuntur, pro Christi confessione propriam vitam contemnere. Hanc tantam charitatem Petrus, cum Christum negavit, nondum habebat, Etenim Christus Dominus Joannis XIII. 36. dixit Petro: *Quò ego vado, non potes me modo sequi: sequeris autem postea.* Dicit ei Petrus: *Quare non possum te sequi modo? Animam meam pro te ponam.* Quæ verba exponens Augustinus tract. 66. in Joannem ait: *Quid in animo ejus esset cupiditatis videbat; quid virium non videbat; voluntatem suam saltabat infirmus.* Et conc. 1. in Psal. 36. ait: *Et fortasse & ipse Abraham nondum noverat, quas vires haberet fides ejus. Unusquisque enim se tentatione tanquam interrogatus, agnoscit. Sicut Petrus quas vires haberet fides ejus utique nesciebat &c.* At Petro, cum negavit, defuisse charitatem perfectam seu maximam in hac vitâ, quando pro illâ ipsâ contemnitur vita, tradit idemmet Augustinus tract. 92. in Joannem inquit: *Dabit enim vobis fiduciam testimonium perhibendi charitas Dei diffusa in cordibus vestris per Spiritum sanctum qui dabitur vobis.* Quæ utique Petro adhuc defuit, quando mulieris ancillæ interrogatione perterritus, non potuit verum testimonium perhibere &c. Quæ dicta Augustini recitat Ecclesia inter præcüm officia fer. 6. post octavam Ascensionis. Nempè Petrus secundum quas tunc habebat vires, non potuit tentationi resistere; eâ tamen gratiâ quam tunc habebat, poterat gratiam ulteriorem tentationi superandæ necessariam implorare, nisi obicem opposuisset.

Num verò reapse obicem opposuerit, est quæstio

facti, in qua S. Augustinus ea scribit, ex quibus tale impedimentum à Petro objectum fuisse intelligitur. Nam in lib. de Grat. & lib. arb. cap. 17. ait: *Ipsam charitatem Apostolus Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit.* Et laudatis verbis in Epist. S. Joannis: *Sed perfecta charitas foras mittit timorem, addit: Et tamen quamvis parva & imperfecta non deerat, quando dicebat Domino, animam meam pro te ponam. Putabat enim se posse, quod se velle sentiebat.* Idem in Psal. 43. ait: *Plerumque enim homo putat se posse, quod non potest; aut putat se non posse quod potest &c.* Nunquid Petrus noverat se, quando dixit medico: *tecum sum usque ad mortem? Medicus noverat venâ inspectâ quid intus ageretur in agroto; agroto non noverat.* Et in Psal. 55. ait: *Vires suas Petrus ignorabat.* At cum Petrus putabat se posse, quod secundum eas, quas tunc habebat vires, non poterat, liberè judicium erroneum induxerat, quo putabat viribus, quas actu habebat, posse oppetere mortem pro Christo; quo erroneo judicio implicitus, de se præsumens, non potuit cum eodem componere judicium rectum, quo putaret, majores sibi à Deo vires precibus impetrandas esse; quod judicium ad orationem prærequiri superius ostensum est, & ex cujus defectu homo non est in potentiâ proximâ ad orandum. Itaque cum primùm Petrus erroneum illud judicium deposuit, tunc primùm pariter habuit potentiâ proximam ad orandum. Augustinus in Psal. 58. *Ignotus enim sibi quisque est antè interrogationem tentationis. Sicut se Petrus præsumendo ignorabat, & negando didicit, quales vires haberet; in tribulatione intellexit, falsò se præsumpsisse.* Et conc. 1. in Psal. 36. Proinde, inquit, *Petrus, qui antè tentationem præsumpsit de se, in tentatione didicit se.* Ita tentatione victus, deposuit erroneum judicium, quod de suis viribus antè præsumendo formaverat, ac tunc fuit in potentiâ proximâ ad orandum. Hæc de casu D. Petri Augustinus prædocuit, At Arnaldi & Jansenii opinio à Facultate Theologica Parisiensi damnata fuit, quòd dixere Petrum præsumpsisse, quia desertus prius fuerat à gratiâ efficaci, sine qua non potuit orare, cum sine adjutorio quo nullus orare possit. At secus docuit Augustinus non uno loco exponens verba Psalmi XXIX. *Dixi in abundantia meâ: Non movebor in æternum; quæ applicans Divo Petro in lib. de Cor. & grat. cap. 9. ait: Hæc vox & Apostoli Petri esse potuit; dixerat quippè & ipse in abundantia suâ: Animam meam pro te ponam; sibi festinando tribuens, quod ei fuerat à Domino postea largiendum.* Avertit autem ab illo faciem Dominus, & factus est conturbatus, ita ut eum mori pro illo metuens, ter negaret. Ita Dominus Petrum de suis viribus præsumentem deseruit; non autem quia prius desertus fuerat, ille præsumpsit.

C A P U T I V.

Sententia Norisii de privatione potentiæ proximæ expeditæ ad perseverandum in justitiâ acceptâ in statu naturæ lapsæ, ex S. Augustino à P. Suarez asseritur; & ubique Janseniana calumnia depellitur.

Alterum Jansenianæ doctrinæ lineamentum, quod Auctor scrupulorum in Vindiciis exactè expressum contendit, inde trahitur, quòd Norisius scripsit naturam humanam ex peccato primi parentis incidisse in privationem potentiæ proximæ expeditæ

ad perseverandū in acceptā iustitiā. At ex superioribus de potentia proximā ac gratiā sufficienti stabilitis, hujus quoque actionis vis omnis elanguet. Augustinus iustum volumen de dono perseverantiæ evulgavit, ut ea quæ de eadem in libro de Correctione & gratiā antea docuerat, adversus Semipelagianorum opinionem defenderet. Equidem initio statim libri observat perseverantiā aliam esse temporariā, tanquam temporis sui, cum iustus aliquo temporis spatio in acceptā iustitiā perseverat, priusquam in aliquod peccatum incurrat; aliam verò esse finalem, quæ consistit in actu bono ac merito gloria, quem prædestinati eliciunt, ac post quem statim vivendi finem faciunt, ac salvantur, de quā alterā specie perseverantiæ ait se eo in volumine contra Semipelagianos disputare. Norisius in Vindiciis cap. 4. §. 10. ostendit S. Doctorem docuisse peccatum originale esse causam reprobationis omnium qui damnantur, quam sententiam S. Thomas & insigniores ejusdem discipuli, alique etiam Theologi secuti sunt, licet non unā ratione eandem sententiam tueantur.

Idem autem loco laudato pag. 67. col. 1. ex S. Augustini doctrinā rem satis difficilem explicans, ait Adamum habuisse à Deo adjutorium, quo proximè & expedite poterat perseverare in iustitiā dono Creatoris acceptā, ita ut Adamus non indigerit speciali dono actualis perseverantiæ, quia habebat auxilium, quo jugiter ad instar habitus inerat illi potentia proximè expedita ad perseverandum, ac nihil ex parte Dei defuisse, quo facillimè reapse perseveraret, si vellet. Hæc cum locupletissimis S. Doctoris testimoniis confirmasset, ibidem addit: *Ceterum ex peccato perdidit sibi & nobis hoc auxilium constituens potentiam proximè expeditam ad perseverandum. Quare privatio hujus potentia in nobis est pœna primi peccati.* Hinc infert eam impotentiam speciali Dei gratiā tolli, quæ si iusto gratiā non conferatur, & stet sub privatione potentia proximè expedita ad perseverandum, tentationi infallibiliter succumbet; quæ Norisii verba sunt pag. 66. col. 1.

Nolo hic indicem texere Theologorum S. Augustini Norisio similiter exponentium. Unum tantum appellabo, cui non modò accusatores honoris gratiā assurgent, verum etiam eodem audito, obmutescunt. Is est P. Franciscus Suarez, qui lib. 4. de auxiliis gratiæ cap. 18. num. 19. scribit: *Dico ergo sensum Augustini esse, Adamum recepisse auxilium proximè sufficiens ad perseverandum, si vellet, & ita sufficiens, ut pro sua libertate, & velle, & perseverare cum effectu potuisset, quod est verissimum &c.* De hoc ergo eodem auxilio, ita proximè sufficiente negat Augustinus dari hominibus lapsis, qui cum effectu non perseverant, idque in pœnam primi peccati &c. Additque statim auxilium sufficiens naturæ lapsæ non esse tantum, ac quale fuit in Adamo propter fomitem, & alia impedimenta bene operandi. Non dicit tamen, inquit, Augustinus huiusmodi homines in presenti statu nullum auxilium sufficiens recipere, ad perseverandum, nam recipiunt saltem remotè sufficiens, quod suo modo est verè sufficiens, in eis tamen propter conditionem hujus status tale est, ut non sit proximè sed remotè sufficiens, & ut **NUNQUAM CONSEQUATUR EFFECTUM**; ita ergo suo modo in presenti juxta præcedentem Augustini doctrinam. Hanc maximus Theologus sententiam S. Augustini exhibet, quam non reprobat, sed suam facit. Videtis, quemadmodum omnia quæ Norisius ea in questione tanquam asserta Augustiniana adstruxit, eadem antea Suarez uti S. Doctoris effata docuerit, ut hic recentior scriptor Vindicia-

rum cuncta ex Suariorum exscriptis videri posset, nisi universa illa doctrina in Augustini scriptis adeò manifestè appareret, ut non interprete diligenti & accurato, sed mediocri intelligentiæ Lectore opus sit, cum tantā undique luce se prodant, ac publicent.

In Synodo Arausicanā II. canon X. ita concipitur: *Adjutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.* Quodam de temporariā, quàm finali perseverantiā intelligitur. At si implorandum est auxilium justificatis, ut possint in bono opere perdurare, antequam petant, non possunt; orant enim ut possint; cum verò possint orare, ut illud adjutorium impetrent, antequam orent, non sunt proximè potentes perseverare, quod idem est ac habere privationem potentia proximè expeditæ ad perseverandum. Augustinus cap. 7. libri de Dono perseverantiæ ait: *Qui enim non infertur in tentationem, non discedit à Deo. Non est hoc omninò in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt; fuerat in homine antequam caeret.* Non discedere à Deo, idem est ac perseverare in bono seu iustitiā acceptā. At si hoc fuit in viribus liberi arbitrii antè primum peccatum, modò in naturā lapsā est privatio ejusmodi virium; undè ut illæ constituiebant, judice Suarez, potentiam proximam, earundem absentia causat impotentiam eidem proximam ad perseverandum in bono, remanente in justificatis plerumque potentia tantum remotā, qua orare possunt, ut proximam impetrent. Eandem doctrinam prolixè Augustinus tradit cap. 11. & 12. de Cor. & grat. & posteriori loco in fine capitis scribit: *Quòd si in tantā infirmitate vitæ hujus &c. ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent, si vellet, nec Deus operaretur, ut vellet, inrer tot & tantas tentationes infirmitate suā voluntas ipsa succumberet, & idè perseverare non possent, quia deficientes infirmitate, nec vellet, aut non ita vellet infirmitate voluntatis, ut possent.* Adjutorium sine quo non dabat Adamo posse perseverare, si vellet, ut ibidem sæpè Augustinus docet. At ob peccatum originale contractā virium infirmitate, voluntas iusti cum eo solo adjutorio, nec vellet; aut non ita vellet, ut possent. An non tanta virium infirmitas privationem potentia proximè expeditæ ad perseverandum exprimit? Si cum illo adjutorio ut quid maximè, vellet, sed non posset, privatio sanè potentia proximè expeditæ ad perdurandum in bono, naturæ lapsæ incubuit. Hæc adeò clara & aperta sunt in S. Doctoris doctrinā, ut Petrus à S. Joseph Fulienfis in libro contra Jansenium par. 4. pag. 167. cum concessisset, Adamum habuisse potentiam proximam ad perseverandum in gratiā, laudatis postea verbis ex cap. 11. citati libri de Cor. & grat. concludat: *Itaque cum ait Augustinus auxilium ad perseverandum quibusdam non dari, id intellige de auxilio proximè sufficiente, quod non omnibus dari concedimus.* Huncne etiam Jansenii antagonistam, quum Norisio conformiter scripserit, inter transfugas reputabitis? Basilius Poncius 1. par. Relect. de grat. cap. 17. num. 9. scribit: *Quare in Adamo fuit auxilium proximè sufficiens pro omni occasione & instanti; in nobis non est proximè sufficiens pro quibuscumque instantibus, & pro multis, vel aliquibus tantum est auxilium remotè sufficiens.* Alterum ex eadem Augustinianā gente Doctorem Poncio addam Joannem Schuveitzerum publicum nunc in Academiā Colonienfis Professore, qui in Dissert. 3. Theol. de prædest. & reprob. dub. 6. probans ex eodem cap. 11. de cor. & grat. hominum reprobationem ex peccato originali, ait cum S. Doctore: *Nunc autem*

quibus deest tale adiutorium (quale scilicet fuit actu datum primo homini, eumque constituit proximè potentem ad perseverandum) jam pena peccati est, quibus autem datur, secundum gratiam datur. Ea parenthesis tota est Norisiana, & S. Dices etiam &c. ait: *Primus homo sibi, & toti posteritati perdidit posse, & ita naturam corrupit, ut auxilium illud, per quod ipse erat proximè potens, modo non sufficiat ob cecam, & indomitam concupiscentiam &c.* Quæ fuit etiam, uti prænotavi, Suarezii juxta Augustinianam doctrinam sententia. Idem Doctor pag. 96. scribit: *Inter sic respondentes est etiam P. Noris; nec hujus dicta refellit, sed in suâ probabilitate relinquit.*

Informator §. 1. p. 4. hanc propositionem à Norisio assertam ait: *Ut talis privationis contingere, ut reprobis etiam postquam justificatus fuit, perseverare non possit in acceptâ justitiâ.* Et rursus pag. 5. hanc alteram imponit: *Removeretur in eo, sicut & in singulis peccatoribus, fidelibus, infidelibusque solam observandæ legis potentiam remotam; quæ ut in proximam mutetur, penes eos non est, Deo solam remotam dante, proximam non offerente.* Hæc calumniæ & invidiæ conflandæ gratiâ Norisio imponuntur; nunquam enim ille dixit reprobum justificatum perseverare non posse in acceptâ justitiâ, sed proximè & expedite non posse: quæ adverbia non tollunt absolute possibilitatem temporariæ perseverantiæ, sed modum aliquem ejus possibilitatis, qualis fuerat in naturâ integrâ antè peccatum Adami. Et sanè notandum est, quòd consultò ac prudenter Norisius tam sæpè ibidem tradit, ex Adami peccato humanam naturam decidisse in privationem non potentiam proximam, sed potentiam proximè expeditam, quæ verba non carentiam potentiam proximam, sed potius carentiam facilitatis ac promptitudinis ipsius potentiam, nullo intrinseco impedimento retardatæ, designant; ibi enim comparat potentiam bene operandi naturæ integræ, cum potentia rectè agendi in naturâ lapsâ. Augustinus conc. 70. in Psal. 118. ait Adamum ac conjugem violasse præceptum, quod facillimè nullâ infirmitate repocante, impediente, tardante implere poterant. At in naturâ lapsâ clamat Apostolus ad Rom. VII. *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ &c.* Quæ Augustinus obijciens Juliano lib. 6. Oper. imperf. num. 13. ait: *In quibus verbis evidenter apparet liberum arbitrium malo suo esse vitiatum. Non enim antè peccatum, quo malè usus est homo libero arbitrio, in illâ paradisi felicitate constitutus, posset hoc dicere.* Et antè ibidem num. 7. cum dixisset multos conari ad virtutum decora pervenire, ait: *Sed si animam corpus corruptibile non gravaret, non utique conarentur. Ac per hoc in paradiso, si nemo peccasset, & super filios Adam grave jugum non esset, sine conatu Deo suo facilè & feliciter obedirent.* Præterea Norisius scripsit, omnes habere potestatem saltem remotam observandæ legis; at quæ ab accusatore annectuntur: *Quæ ut in proximam mutetur, penes eos non est, Deo solam remotam dante, proximam non offerente;* nusquam hæc in Norisii libro leguntur; imò contrarium palam asseruit, cum dixit, hominem urgente quolibet præcepto, posse rogare Deum pro impetrandâ gratiâ necessariâ ad ejusdem præcepti impletionem, ut superiori capite ostendi.

Rursus pag. 11. obijcit in sententiâ Norisii justum sufficienti gratiâ & potestate proximè expeditâ privati, non propter ullam præcedentem culpam, sed propter solum originale peccatum, quantumlibet jam remissum. Et paulò post: (Ut quid enim si gratiam orandi accepit, non propter orandi negli-

gentiam, sed propter originale peccatum, solum privari dicitur auxilio proximè sufficiente, ut quid ad originale jam condonatum recurratur modo tam novo, & Catholicis exoso) Hæc Informator. At vir bonus ac simplex dissimulat ea nosse, quæ ex S. Augustini aliorumque Patrum ac Theologorum sententiâ Catholicis omnibus innotescunt. Nam nullus non ignorat, ex peccato originali humanam naturam duo vitia contraxisse, ignorantiam videlicet & infirmitatis, ex quibus veluti fontibus peccata cuncta derivant. Augustinus in Enchiridio cap. 81. ait: *Duobus ex causis peccamus: aut non videndo quid facere debeamus; aut non faciendo quid debere fieri jam videmus. Quorum duorum illud ignorantia malum est, hoc infirmitatis.* Et lib. 2. de Pec. mer. cap. 17. *Ignorantia igitur & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum bonum.* Et conc. 9. in Psal. 118. *Aliud est quippe mandata Dei per infirmitatem, vel per ignorantiam non implere &c.* Leges cap. 67. de Nat. & grat. §. *Nec mirandum est &c.* Utrumque malum eidem in lib. de Perfect. just. cap. 4. dicitur *pœnalis vitiositas* ex Adami peccato *subsecuta*; sub qua positi vel non possumus, quod volumus, intelligere; vel quod intellexerimus, volumus, nec volumus implere. Peccata omnia sacramento baptismatis & penitentia tolluntur; at inquit S. Doctor serm. 2. de verbis Apostoli: *Nunquid quia deleta est iniquitas, finita est infirmitas?* Jam verò ostensum est, hanc pœnalem infirmitatem nil aliud esse quàm privationem virium, quas servandæ legis natura humana antè Adami peccatum habebat, eamque virium privationem ipsam esse privationem potentiam proximè expeditam ad servandum præceptum. Cum igitur certum sit homines infirmitate peccare, atque hanc infirmitatem esse pœnalem vitiositatem ex originali peccato derivatam, habere Norisius scripsit reprobos etiam justificatos, habere privationem potentiam proximè expeditam ad perseverandum; quæ privatio non est pœna personæ ejusdem reprobis, sed pœnalitas, ut loquuntur Theologi, toti humanæ naturæ ob primum peccatum inflicta. Verum reprobos justificatos habere potentiam proximam ad orandum tùm, cum urget præceptum, ex assertionibus Norisii demonstravi. Augustinus lib. 3. ad Bonifacium Papam cap. 3. cum dixisset baptismum omnia peccata delere, addit: *Sed non aufert infirmitatem, cui regeneratus resistit, quando bonum agendum luctatur; consensit autem, quando sicut homo in aliquo delicto præoccupatur; propter illud gaudens in actione gratiarum: propter hoc autem gemens in allegatione orationum.* Cum quis dicitur peccare sicut homo, infirmitas pœnalis indicatur; cum verò dicitur gemens in allegatione orationum, potentia ejusdem proxima orandi designatur. Idem S. Doctor in lib. ad Simplicianum quæst. 2. ait: *Nonne aliquando ipsa oratio nostra sic tepida est, vel potius frigida, & penè nulla, imò omnino interitua ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus: quia si vel hoc dolemus, jam oramus? Quid ergo aliud ostenditur nobis, nisi quia & petere, & querere & pulsare ille concedit, qui ut hæc faciamus, jubet?* Ex quibus in primis colligimus defectum ipsum ferventis orationis ex infirmitate naturæ procedere, quòd corpus corruptibile aggravat animam, ut tam lentè orando, vix ascendat ad Deum, terrenis cogitationibus implicata; ita ut privatio potentiam etiam expeditam ad ferventius ac diutius quantum oportet, orandum, eidem infirmitati ex peccato originali contractæ adscribenda sit. Rursus colligo dolorem, quo ad eò tepidè orare dolemus,

uti & ipsammet tepidam orationem fieri à nobis cum adjutorio sine quo non, ac ordinario concursu Dei, cum sint actus boni remissi, debiles, & minus perfecti. Eà tamen tepidà oratione impetramus spiritum ferventioris orationis, qui nobis adjutorio quo donatur, dicente Augustino in Psal. 17. *Ego libera & valida intentione preces ad te direxi, quoniam ut hanc habere possem, exaudisti me infirmis orantem.*

Norifius in eodem libro Vindiciarum, ut defenderet Sancti Augustini sententiam, qua asseruit peccatum originale esse causam reprobationis omnium, qui damnantur, cum tamen reprobus baptizatus peccatum originale in baptismo remittatur, qui postea in peccata lapsi, iisque immortentes, damnantur, ut horum quoque reproborum damnatio aliquà ratione peccato originali adscribi posset, eandem in infirmitate ab humana naturâ ex peccato Adami contractâ collocavit, qua factum est, ut etiam iustificati proximè expeditâ potestate perseverandi in acceptâ iustitiâ plerumque careant, eaque sit à Deo precibus impetranda. Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 109. art. 10. & rursus 2. 2. quæst. 137. art. 4. objicit in prioribus argumentis, Adamum potuisse perseverare per gratiam quam acceperat, uti docet Augustinus, & cum Christus majora dona attulit, quam nocumentum Adamus, inde colligi iustum posse perseverare in acceptâ iustitiâ sine novo auxilio gratiæ. Huic argumento responderet loco citato ex 1. 2. hominem in primo statu accepisse donum, quo perseverare posset; non autem quo reapse perseveraret; nunc autem per gratiam Christi multos accipere & donum gratiæ, quo perseverare possunt, & ulterius eis dari, ut perseverent; & sic donum Christi esse majus, quam nocumentum ex delicto Adami; & statim addit: *Et tamen facilis homo per gratia donum perseverare poterat in statu innocentia, in quo nulla erat rebellio carnis ad spiritum, quam nunc possumus, quando reparatio gratiæ Christi, etsi sit inchoata quantum ad mentem, non est tamen consummata quantum ad carnem &c.* Et alibi 2. 2. cit. ait ex S. Augustino primo homini datum, ut perseverare posset per liberum arbitrium, quia nulla corruptio tunc erat in humana naturâ, quæ perseverandi difficultatem præberet. Hæc rebellio carnis sive concupiscentia reddidit hominem infirmum ad faciendum bonum, ac maximam implendæ legis difficultatem affert, ita ut amissâ potentiâ proximè expeditâ, quam ad perseverandum Adamus habuit, homines præsertim reprobi, ad observandam legem non recipiant quandoque nisi auxilium sufficiens, quod in eis tamen propter conditionem hujus status tale est, ut non sit proximè, sed remotè sufficiens, & ut nunquam consequatur effectum: quæ Suarez verba sunt loco superius laudato. Quod si nunquam hæc auxilia remota juxta Suarium, consequuntur effectum, infirmitatem ex originali peccato contractam reapse non sanant, ac proinde eadem infirmitas seu privatio potentiæ proximè expeditæ est in causâ, ut homines etiam iustificati, mandata postea non implentes, reprobentur. Hinc ut alios omittam, Thomas Lemos infignis Theologus, tom. 2. de grat. tract. 4. de reprob. cap. 16. num. 257. scribit: *Vnde illa infirmitas ex peccato originali dimissa relicta, causa erit permissionis talis in his, qui cadere permittuntur; & per consequens originale peccatum etiam hoc modo est prima radix reprobationis.* Jam sæpius admonui infirmitatem ad opus faciendum, idem omninò esse ac carentiam virium, seu privationem potestatis proximè expeditæ ad agendum. Cardinalis Brancatus de Laurea Opusc. 2. de reprob. in fine cap. 5. cum notasset genus humanum ob

peccatum originale incidisse in ignorantiam, concupiscentiam, aliasque pravas passiones ad peccatum inclinantes, ait: *Et ita originale in reprobis baptizatis; per se non est causa damnationis; sed effectus ejus ad eam conducunt, quia ad peccata inclinant, quæ sunt immediate damnationis cause.* Norifius paginâ 68. col. 1. negat hominem in baptismo iustificatum, damnari propter peccatum originale, ac ratione illius, ut causæ proximæ, reprobari, sed dicimus, inquit, radicaliter peccatum originale esse causam reprobationis fidelium, qui damnantur, quatenus ex illo ortum habuit privatio potentiæ proximè expeditæ ad perseverandum, sub qua præciso speciali auxilio Dei, homo labitur in peccata, ob quæ proximè & formaliter à Deo damnatur. Quamvis enim habeat auxilium remotè sufficiens, id tamen tale est, ut nunquam, inquit Suarez, consequatur effectum. Hinc S. Doctor in lib. de Corrupt. & grat. cap. 13. scribit: *Aut gratiam Dei suscipiunt, sed temporales sunt, nec perseverant; deserunt, & deseruntur. Dimissi enim libero arbitrio, non accepto perseverantia dono, iudicio Dei justo, & occulto. Nempe dimissi libero arbitrio, non quocumque Dei auxilio destituti, sed auxilio tantum remoto adistente, quod sine ulteriori auxilio impetrato, nunquam consequitur effectum, ad quem principaliter datur.*

Informator §. 4. num. 1. titulum inscribit: *Utrum à Jansenio differat Norifius in eo quod dicit de potentiâ remotâ.* Enimverò observat Jansenium lib. 3. de grat. Christi cap. 15. tradere præcepta dici possibilis diversimodè à multiplicitate potentiæ remotissimæ, remotæ, propioris, & proximæ. Potentia remotissima dicitur à Jansenio ipsummet liberum arbitrium. Potentia remota habetur ab habitu fidei, quem qui habet, dicitur posse benè vivere. Tertio potentia multo plenius propinquiusque habetur per charitatem sed imperfectam, qua homo incipit posse, & reapse vult bonum, quod tamen nondum plene potest agere. Denique addit Jansenius: *Quarid itaque completissimè dicimur posse, quando S. Spiritus inspiratione sic voluntas preparatur, ut non nude possit, sed etiam velit &c.* Hoc posse nunquam habetur, nisi quando reipsa quoque agitur &c. Ex his patet Jansenium constituisse potentiam remotissimam in ipso libero arbitrio, in quo Pelagiani proximam collocabant, & minus remotam in habitibus fidei & Charitatis imperfectæ. Illam verò esse proximam, quæ semper est actui conjuncta, & à Theologis gratiæ efficaci attribuitur. Nam, inquit, pag. 145. col. 2. *reliqui tres possibilitatis modi imperfecti sunt, quibus presentibus, si postremus qui per actualem gratiam datur, non assuerit, non magis hic & nunc, & absolute fieri posse præceptum dici potest, quam si sine aliis volare posse diceretur.* Hæc Jansenius. At Norifius in Vindiciis cap. 3. in fine §. 6. pag. 45. col. 1. cum affirmasset omnibus hominibus adesse auxilium saltem remotum, id probat ex S. Augustino in lib. de Nat. & grat. cap. 67. ubi ait: *Cum verò ubique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem, aversum vocet: doceat credentem: consoletur sperantem: diligentem adhortetur: conantem adjuvet: exaudiat deprecantem.* Auxilium remotum dicitur Norifio, illud, quod quis conatur implere præceptum, quoque deficiens viribus, easdem à Deo deprecatur. Nam ille disertè admittit etiam in statu naturæ lapsæ adjutorium sine quo non, quo homo, uti superius dixi, simpliciter potest conari implere mandata, ac orare pro viribus impetrandis. Oppositum planè tradit Jansenius lib. 2. de grat. Christi cap. 27. pagina 87. col. 1. ubi loquens de minimo effecti gratiæ

efficacis ait: *Hæc igitur gratia, quamvis nullo modo sufficiat, ut homo Dei mandatum operetur, &c. ut oret, ut credat, adhuc tamen facit aliquid, ut istarum vel ulterius cujusdam celestis rei liberas quasdam non voluntates, sed velleitates vel complacentias excitet.* Quare sine adjutorio quo juxta Jansenium, homo nullo modo sibi sufficit, ut oret. Præterea Norisius ibidem de auxiliis remotis hæc scribit pag. 92. *In quo autem consistant hujusmodi auxilia remota, non ita facile explicatur; etenim miris modis Deum humanas voluntates ad bonum faciendum movere idem Augustinus lib. 1. ad Bonifacium cap. 19. verissime affirmat.* Igitur juxta Norisium Deus auxiliis remotis humanas voluntates ad bonum faciendum movet, nempe ad actus tenues & minus perfectos, exempli gratiâ, conatus ad implenda præcepta, & orationes ad impetrandas vires, uti superius exposui, qui profecto actus non sunt puræ putæ velleitates, uti censet Jansenius, sed voluntates licet sine ulteriori auxilio inefficaces ad implenda præcepta. Ubinam ergo in Norisii dictis Jansenismus cubat?

Eandem fallaciam Anonymus in scrupulis pag. 32. & in Informatione pag. 20. iisdem utrobique verbis intendit, fingens necessitatem antecedentem peccandi sine gratiâ sufficiente eodem modo à Jansenio & à Norisio, quod absit, explicari, ne peccantes ab impotentia servandi mandati, excusari possint. Sunt gerræ germanæ. Jansenius lib. 3. de gratiâ Christi cap. 15. pag. 145. col. 2. ideò juxta aliquos negat necessitatem antecedentem peccandi: *Non enim, inquit, ideò peccant, quia non possunt abstinere à peccato, quamvis reverà non possint; sed idcirco peccant, quia non volunt, neque vellent abstinere, etiam si possent.* Ipse verò melius responderi putat, dicendo impotentiam esse quæ ex defectu ipsius voluntatis seu volitionis oritur, *quæ si adesset, quanta adesse debet, præceptum facillimè impleveretur;* pag. 146. col. 1. Utraque responsio est frivola, nec vel apparenter tollit difficultatem. Nam si reverà non possunt, est planè antecedens necessitas. Rursus defectus volitionis oritur ex impotentia voluntatis, quæ non potest servare mandatum sine gratiâ, quæ omnino caret, cum quocunque medio eandem obtinendi, ac proinde est necessitas antecedens. Quod addit pag. 147. col. 1. *posse homines sine gratiâ vitare peccata illâ remotiore potestate, quæ possunt ea vitare, si voluerint,* idem est, ac si quis homini jubeat, ut Lunam tangat, si velit volare. Nam perinde homini impossibile est volare, ac Lunam tangere; eodemque modo homo sine gratiâ non potest velle vitare peccata. At Norisius necessitatem antecedentem eâ notione intelligens, quæ à Theologis exponitur, hæc ibidem pag. 44. col. 1. de Infidelibus scribit: *Quamvis enim caveant auxilio proximè sufficienti, habent tamen quadam auxilia remota; unde non patiuntur antecedentem necessitatem peccandi, quam licet humanum genus ex peccato primi parentis incurrerit, Christi tamen Redemptoris beneficio sublata est, ut acutè*

probat noster Poncius 1. par. relect. de grat. cap. 15. Illud auxilium remotum, est adjutorium sine quo non, quod idem Auctor in statu nature lapsæ admittit ad eliciendos actus bonos remissos, debiles, ac minus perfectos, quibus tamen adjutorium quo ad robustiores actus ad implendam legem necessariis impetrari potest. Quis autem non intelligat ex illâ Poncii ac Norisii sententiâ apertè colligi ejusdem discrimen à rejectâ opinione Jansenii? Illi censent ex Adam peccato ipsum Adamum ejusque posteros secluso beneficio Redemptoris, contraxisse necessitatem antecedentem peccandi, quæ tamen necessitas Christi Domini meritis sublata fuit etiam ab infidelibus, de quibus ibidem Norisius loquitur. At certum est eam necessitatem non esse sublata nisi beneficio auxilii proximi vel remoti, quocum utroque auxilio eadem necessitas est impossibilis; quare omnes homines, à quibus ea necessitas ablata est, facti sunt beneficio Redemptoris participes gratiæ sufficientis proximæ vel saltem remotæ. At Jansenius, cujus verba à pag. 194. recitavi, contendit infideles carere gratiâ sufficienti, tam proximâ quam remotâ, & omnibus principiis ejus. Quæ de plura scribit lib. 3. de Gratia cap. 11.

Hic consulo omitto quæ Anonymus in utraque opellâ de notione potentia proximæ in actu primo ex insignibus Thomistica scholæ Doctoribus addensat; siquidem nihil indè præjudicii Norisii doctrinæ infertur, qui potentiam proximam ad orandum cum adjutorio sine quo non palam admittit. His adde, quod in gratiâ proximè sufficienti exponendâ Doctores diversimodè opinantur. Nam Cardinalis Brancatus de Lauræa Opusc. 3. de gratiâ cap. 4. num. 83. mirari se dicit cum aliis viris doctis, cur à recentioribus Theologis gratia, quæ homo vocatur, illuminatur, & excitatur ad faciendum bonum, & effectum non obtinet, dicatur *sufficiens ad distinctionem efficacis, quæ semper habet annexum effectum, cum satis non sit ad eum ponendum, sicut efficax, quæ in rigore dici deberet sufficiens.* Præterea Franciscus Macedo in Augustini lectione versatissimus, in Scrinio S. Augustini c. 8. universam Norisii doctrinam, quam hætenus defendi, uti Augustinianam tuetur, & à pag. 87. pluribus contendit solam gratiam efficacem dici posse *proximè sufficientem*, quod aliis quoque Theologis placuit, quos inter est Cumel tom. 3. variar. disp. 5. sect. 1. pag. 207. Sed cum de re illi conveniant, haud vacat de nominibus disputare. Atque hic finem habeat Norisianæ doctrinæ apologia, quam importunitas adversariorum extorsit, qui laudatum Scriptorem tum læsæ Apostolicæ Sedis infallibilitatis, tum Janseniani erroris reum peragere variis subinde scriptiunculis conati sunt. Quibus ex S. Augustino lib. 3. con. Julianum cap. . . . repono: *Modò causa finita est. Nec amplius vobiscum agendum est, quantum ad jus examinis pertinet, nisi ut peractam apud Apostolicam Sedem, quæcumque fuerit, censuram cum pace sequamini. Quod si nolueritis, & turbulenta vel insidiosa inquietudine cobibeamini.*

F I N I S.